CONIECTANEA

IN

Q. HORATII FLACCI SATIRAS

CUM

VARIIS LECTIONIBUS UNIUS CODICIS MANUSCRIPTI
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSIS.

EDIDIT

IOANNES APITZIUS,
PHIL. DR.

BEROLINI
IN LIBRARIA FERD. GEELHAARI (ANTEA ENSLINIANA).

MDCCCLVI.

PRAEFATIO.

Plus iam quam centum abhinc annis Matthias Gesnerus iudicavit, adeo ab omnibus inde saeculis sategisse circa Horatii eclogas librarios, interpretes, criticos, ut possit homo diligens, cui bibliothecae pateant, facile librum mediocrem vel sola huius poetae historia litteraria implere. Nunc quidem longe ampliorem eiusmodi librum nobis conficere licet, verumtamen pluribus de causis, quarum princeps ab libris manuscriptis repeti debet, poemata Horatiana non perinde integriora reddita sunt. Etenim quum etiam praestantissimis coniecturis fides prope semper ambigua habeatur omninoque ferme nihil, nisi quod Libitina sacraverit, approbari soleat, summa rerum paene usquequaque ad solos redit codices manuscriptos nosque in mendis non tam corrigendis quam declarandis acquiescere oportet. In universum vero Horatii exemplaria manuscripta egregie corrupta sunt, id quod idcirco minime mirandum, quia eius eclogas iam grammatici Romani maxime interpolarunt. Etsi enim generosior poeta grammaticas tribus et pulpita non dignabatur ambire, neque vilibus in ludis scripta sua dictari volebat, nullo tamen pacto dubitari potest, quin eius poemata, a vulgo Romano illa quidem studiose lecta[1]), a grammaticis permultum versarentur. Sed quum eadem tum in scholis dictarentur et exponerentur, tum palam recitarentur, fieri non poterat, quin multifariam diffingerentur vel potius depravarentur, quoniam plerique grammatici Romani mirum quantum arrogantes atque ineruditi erant, quod multis ex

1) V. Epist. I, 19, 35. sqq. I, 20, 10. sqq. II, 3, 345. sq. Carm. IV, 3, 13. sqq.

PRAEFATIO.

Plus iam quam centum abhinc annis Matthias Gesnerus iudicavit, adeo ab omnibus inde saeculis sategisse circa Horatii eclogas librarios, interpretes, criticos, ut possit homo diligens, cui bibliothecae pateant, facile librum mediocrem vel sola huius poetae historia litteraria implere. Nunc quidem longe ampliorem eiusmodi librum nobis conficere licet, verumtamen pluribus de causis, quarum princeps ab libris manuscriptis repeti debet, poemata Horatiana non perinde integriora reddita sunt. Etenim quum etiam praestantissimis coniecturis fides prope semper ambigua habeatur omninoque ferme nihil, nisi quod Libitina sacraverit, approbari soleat, summa rerum paene usquequaque ad solos redit codices manuscriptos nosque in mendis non tam corrigendis quam declarandis acquiescere oportet. In universum vero Horatii exemplaria manuscripta egregie corrupta sunt, id quod idcirco minime mirandum, quia eius eclogas iam grammatici Romani maxime interpolarunt. Etsi enim generosior poeta grammaticas tribus et pulpita non dignabatur ambire, neque vilibus in ludis scripta sua dictari volebat, nullo tamen pacto dubitari potest, quin eius poemata, a vulgo Romano illa quidem studiose lecta[1]), a grammaticis permultum versarentur. Sed quum eadem tum in scholis dictarentur et exponerentur, tum palam recitarentur, fieri non poterat, quin multifariam diffingerentur vel potius depravarentur, quoniam plerique grammatici Romani mirum quantum arrogantes atque ineruditi erant, quod multis ex

1) V. Epist. I, 19, 35. sqq. I, 20, 10. sqq. II, 3, 345. sq. Carm. IV, 3, 13. sqq.

lepidis rebus a Gellio [1]) relatis neque minus aliunde compertum habemus. Cuius generis homines sine dubio non tantum singula verba immutabant, sed totos etiam versus tum pro genuinis supponebant, tum suo inserebant ex penu, quod vel vivo accidit Martiali [2]), tum e contrario expungebant, cuius temeritatis luculentum exstat testimonium in principio Sat. I, 10. Praeterea non deerant, qui opera veterum auctorum retractarent, aut emendanda ac distinguenda et annotationibus adornanda curarent, soli huic grammatices parti dediti, uti auctor est Suetonius de illustr. gramm. 2. et 24. Vel integra etiam opera sub fictis scriptorum nominibus non ita raro componebantur.

Tali igitur conditione quum litterae Latinae uterentur, nequaquam licet mirari, quod vetustissimis iam temporibus incorrupta auctorum opera rarissime reperiebantur, nec fere minus quam hodie de lectionibus sinceris ambigebatur et disceptabatur [3]). Quocirca non Priscianus demum aut scholiastae interpolata Horatii exemplaria terebant, sed talia, si nondum vivo poeta [4]), certe paullo post eius obitum iam divulgata sunt, quemadmodum adeo elegi atque epistola prosa oratione ad Maecenatem perscripta sub titulo Horatii non ita multo post in lucem prodierunt. Unde satis elucet, cur etiam antiquissimus Horatii codex Blandinius, tertio vel quarto post Chr. saeculo exaratus, non minimum esset corruptus, id quod plenius cognosceremus, si a Cruquio diligentius collatus esset. Namque vehementer falluntur, qui hunc codicem tamquam oraculum venerantur, posteaquam inde Bentleius Sat. I, 6, 126. *fugio campum lusumque trigonem* pro vulgato *fugio rabiosi tempora signi* multis cum

1) N. A. IV, 1. V, 21. VII, 17. XIII, 30. XIV, 6. XV, 9. 30. XVI, 6. XVII, 1. XVIII, 4. 6. 7. XIX, 10.

2) Cfr. Epigr. X, 100.

3) Cfr. Gell. N. A I, 7. 16. 21. II, 3. 14. IV, 16. V, 4. VII, 20. IX, 14. XII, 10. XIII, 20. 30. XVIII, 5. XX, 5.

4) Cave vero huc referas, quod auctor vitae Horatii anonymus narravit: Carminum suorum elimator fuit Tharsus ille poeta et Tibullus (leg. tersus ille poeta Tibullus). Fluxit hoc commentum ex Epist. I, 4. 1. Albi, nostrorum sermonum candide iudex.

laudibus reduxit. Imo hic quoque celebratissimus ille liber manuscriptus sicut alibi saepius [1]) interpolatus erat, ut loco suo demonstrabimus.

Verum Horatius iam antiquitus pessime tractatus barbariam insuper aevi medii expertus est, quae quot saucio vulnera nova inflixerit vel infligere debuerit, quum plurimi librarii dumtaxat legere ac scribere possent et linguae Latinae artisque metricae admodum nihil scirent, ita ut quodlibet vitium facillime committerent, vix divinando assequi licet.

Proinde cunctos auctoris nostri codices manuscriptos vel plus vel minus mendosos esse utique necesse est atque spes prorsus abiicienda, aliquando etiam sincerum quoddam exemplar poematum Horatianorum alicubi forte inventum iri. Attamen quum in Horatii Satiris recognoscendis spicas aliquot tum criticas tum exegeticas legissem easque, utpote ad verba poetae rectius tam conformanda quam interpretanda non plane inutiles mihi visas, foras dare constituissem, codicem bibliothecae regiae Berolinensis nondum collatum non magis volui intactum relinquere quam sitiens fontes minus limpidos praeterire, nam ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet. Nec modo locos a me in Coniectaneis examinatos leviter inspicere placuit, sed Satiras integras accurate explorare satius duxi. Quae reperi notanda, haec fere sunt.

Codex bibliothecae regiae Berolinensis nr. 269. in quart. min. continet Horatii Epistolarum libros duos cum Epistola ad Pisones et Sermonum libros duos. Membranaceus est et saeculo duodecimo exaratus. Fluxit ex vetusto libro manuscripto notae melioris, sed librarius unus de plurimis bene quidem artem scribendi callebat, linguae vero Latinae artisque metricae erat rudis. Omnibus Epistolis plurima scholia et inter contextum et in margine, Sermonibus perpauca solum in margine auctor quidam recentior allevit.

---

1) V. c. Sat. I, 1, 108. I, 3, 57. 60. I, 4, 87. I, 6, 68. II, 3, 188. II, 5, 87.

Sat. I, 1.

2. illa. 4. annis. 7. quid enim. 8. momento cita mors. 10. sub galli cantu. 19. nolunt. 23. ne sic. 25. quid vetat. 29. perfidus hic caupo. 33. exemplo est magno formica per orbem, lectione laboris a grammatico quodam in margine notata. 38. patiens. 46. plus quam. 52. dum ex parvo. 55. mallem. 59. tantulo. 61. falsa. 63. miserum. 79. optarem. 81. affixit. 83. reddat natis. 88. at si. 92. cumque habeas. 95. humidius. 101. quid mi —— aut sic. 104. aut nebulonem. 108. necnon ut avarus. 109. ac laudet potius. 115. suos vincentibus. 118. tempore vitae.

Sat. I, 2.

2. mimi. 6. depellere. 14. exigit. 18. exclamat —— at ipse. 25. malchinus. 27. gorgonius. 28. nolunt. 29. subsuta. 30. olenti in fornice. 33. inflamat tetra libido. 38. moechis. 45. sq. quidam —— demeteret ferro. 48. in quas. 51. magnifico. 63. in matrona, ancilla peccesve togata. 64. villius in fausta sillae gener. 68. videnti. 74. tu si. 78. sectari matronas. 79. fructum. 81. sit licet ocherinte tuum. 82. togatae est. 83. aperte. 84. honesti est. 86. opertos. 110. a pectore pelli. 111. statuat. 113. abscindere. 121. aıt, sibi quae. 122. nec cunctetur. 125. dextro corpus mihi laevum. 127. nec metuo. 129. vel pallida. 132. et pede nudo.

Sat. I, 3.

7. citaret. 11. habebat. 20. immo alia et fortasse minora. 22. an ut ignotum. 25. cum tu pervideas —— mala. 34. sub corpore. 41. in amicitiam. 42. errori nomen virtus. 57. multum demissus —— illi. 58. tardo cognomen pingui. 60. versetur. 65. inpellat. 66. oheu. 74. ignoscat. 81. tepidum lig. 82. labeone. 85. insanus, acerbus. 91. tritum. 107. teterrima. 116. fregerit. 117. sacra divum. 120. sq. nam ut ferula caedas —— non vereor. 128. quo. 130. alfenus. 132. sutor erat. 133. vellunt. 137. ne longum.

Sat. I, 4.

3. ac fur. 7. numeris pedibusque.. 11. tollere cures 13. nil moror. 14. minimo. 15. accipiam. 18. loquentis. 25. elige. 26. aut ob avaritiam aut misera ambitione. 30. tepet. 33. poetas. 35. sibi. 39. poetas. 41. si quis. 45. comoedia necne poema. 49. insanit. 50. sq. recuset —— ambulet. 52. pompinius. 60. ut dissolvas. 62. invenias. 64. merito tibi ne sit. 65. fulgius. 69. burique. 70. sum caprii —— metuas. 73. non recito cuiquam. 75. recitent. 79. inquit. 87. unus avet. 89. condita. 93. lividus. 94. capitolini. 95. defendas.

Sat. I, 9.

2. nugarum, totus in illis. 3. occurrit. 8. misere. 11. bolane. 16. persequar. 20. iniquae mentis asellus. 21. cum gravius dorso. 22. si bene me novi. 27. quibus est te salvo est opus (sic). 28. composui. 34. simul atque. 35. ad vestem, littera m ad veste (h. e. vestae) perperam adsuta. 36. tum —— vadato. 37. quod ni. 38. hic ades. 42. sq. durum —— tecum sine est. 44. hinc —— hominum et mentis. 48. vivimus. 50. inquam. 53. cupio. 55. eoque. 60. agit. 62. venisset. 63. quo tendis. 64. pressare. 68. meliore. 69. vin tu. 73. tam nigrum surrexe mihi. 74. linquit. 76. exclamat. 77. oppono.

Sat. I, 10.

4. quo est vir melior —— subtilior illo. 5. et loris et funibus. 6. exortatus. 8. grammaticornm equitum doct. ut red. illuc. 10. inepte. 13. sq. non sic —— mirer? 19. modo tristi. 23. et melius. 27. et doctus. 28. at magnum. 33. an et cum. 35. oblitus patriaeque patrisque latini. 36. exudet. 39. atqui ego. 40. me tali. 42. insanius. 45. defingit. 46. quae nec. 47. spectanda. 49. comis. 51. facta canit. 52. varius dicet. 53. annuerint. 55. possim. 57. multa cum laude. 59. quaeso. 60. reprehendis. 61. accii. 62. num ridet. 64. quid vetat. 66. magis factos. 67. ac si. 76. dilapsus. 78. in versu faciendo. 86. me moveat —— pantilius, ut cruciat. 88. tigelli. 90. probet haec. 92. possum. 94. bibuli. 95. complures alios. 96. sunt qualiacumque. 99. discipularum. 100. citus haec.

Sat. II, 1.

1. videor. 2. tendere. 9. irriguumque. 10. rapit. 15. describit. 18. cum —— ferat. 19. attentam —— aurem. 20. palpere, recalcitrat. 21. quam tristi. 24. milonius, ut semel. 31. gesserat, umquam. 42. o pater et rex. 47. cervius —— leges. 48. albucii. 49. curius, si quis se iudice certet. 51. imperet hoc. 53. monstratum sine est. 54. nil faciet —— mirum sine est. 55. petit. 56. mala tollet. 58. expectat —— circumvolet. 59. fors ita iusserit. 65. num —— aut qui. 68. famosisque. 77. fragili quaerens —— dentem. 78. offendet. 79. hinc diffidere. 80. ut monitus caveas. 84. laudatur. 85. latraverit.

Sat. II, 2.

1. boni. 2. sermo est, sed quem. 3. abnormi. 13. agit. 14. extulerit. 15. vilem, nisi. 21. neque ostrea. 29. nil hac magis illa. 35. quid pertinet. 38. ieiunus raro stomachus vulgaria tempnit. 41. quamvis. 44. abacta sine est. 48. quid, tum rh. min. aequor alebat. 50. donec vos. 53. distabat. 55. pravum. 56. ex vero dictum —— adhaeret. 58. ac nisi —— diffundere. 59. cuius odorem olei. 64. angit. 65. qui non offendat sordibus. 66. cultus. 67. albuci —— munia praebet. 68. nec sicut. 69. praebebit. 72. credas. 73. ac simul. 79. affigit. 80. dicto citius. 83. advexerit. 84. ubique. 85. anni, tractari. 86. accedet ad istam. 95. occupet. 99. as —— trausius. 105. tanto emetiris. 106. recte tibi. 108. certius. 113. non latius. 114. accisis. 117. fumosae. 118. at mihi seu longum post tempus. 121. tum. 123. culpa potare magistra. 124. ita culmo ut surgeret. 127. hinc imminuit. 129. proprie. 132. pŏstremo. 134. dictus, erit nulli proprius —— cedit. 135. nunc aliis.

Sat. II, 3.

1. sic raro scribis. 2. retexens. 4. canas —— ab ipsis. 5. ergo. 7. culpantur frustra calami. 10. tecto. 12. Archilochum —— educere tantos. 20. excussis. 22. sculptum. 25. mercuriale. 29. capitisque. 33. veri. 35. pascere. 38. dexter. 39. urget. 41. furere omissum est. 43. quemcumque. 44. crisippi porticus. 48. insani. 49. certo de tramite. 50. utrique. 52. nihilo ut. 53. trahat. 56. varium. 59. hic —— hic. 60. fufius. 62. vulgum. 69. a nerio. 70. tabulas centum. 72. rapies in iura malis. 74. insani est, contra bene sani. 75. perilli. 88. hoc volui, ne. 89. vidisse. 92. nihil acrius. 93. perisset. 96. contraxerit. 97. sapiens, iustus, etiam rex. 103. litem quod. 108. qui discrepet istis. 112. porrectus —— neque illinc. 116. nihil est. 117. unde. 126. prurigine. 128. tu insanus. 129. servosve tuo —— pararis. 131. interimis. 132. quid enim? neque tu hoc facis argis. 133. occidit. 138. reprehendere. 139. ausus ve, neque est insequente. 141. iussit quod. 148. mensam poni. 150. hominem. 154. accedat. 155. tu cessas. 156. quanti emptae. 157. morbo, furtis pereamne. 158. quid avarus. 162. surgetque. 163. latus aut renes —— temptentur. 166. baratone. 172. donare et ludere. 183. latus. 186. ingenuum. 188. nil ultra quaero. 189. ac si. 191. reducere. 194. putrescit. 201. quorsum insanus. 208. sq. alias veri scelerisque tumultu permixtas. 211. aiax immeritos cum occidit. 212. cum prudens —— admittis. 213. tumidum est cor. 215. ancillas. 216. rufam aut pusillam.

219. quod si quis. 220. prava. 221. qui sceleratus. 225. vincet. 230. quid tum. 231. et horum. 233. contra hoc. 235. vellis. 238. currit —— vocata. 240. exsorberet. 242. in rapidum flumen. 246. sani creta, an carbone notandi. 249. delectat —— verset. 250. sed puerilius. 252. quale prius laudas opus, ut Cd. nr. 5. 254. palemon. 255. cubitale. 257. correptus. 258. recusat. 259. catelle, negat. 260. qui distat, agit. 261. arcessitus. 262. ne nunc, cum me vocet. 263. an potius —— labores. 270. nihilo plus. 279. absolves. 280. cognata vocabula. 282. lautis. 283. quiddam magnum addens. 285. litigiosus. 286. vulgus. 287. crisippus. 291. mane die, quo tu. 292. medicusque levarit. 294. febremque reducet. 299. tergo. 301. qua me stultitia. 303. abscissum demens —— portet. 304. sibi tum. 305. liceat concedere veris. 307. putas. 313. tanto dissimilem et tanto certare minorem. 315. ut ingens. 317. num tandem se flans sic magna fuisset. 318. num tanto. 322. fecit, sanus facis et tu. 323. non dico.

Sat. II, 4.

2. vincunt. 6. quod si. 7. mirus utroque. 10. simul et. 11. ipse. 13. magis alba. 15. caule —— agris. 19. mixto. 22. peraget. 28. mitulus et viles. 30. implent. 33. miseno. 34. iactat se. 35. nec sibi. 36. ni prius. 37. avertere. 38. ignarum. 39. reponet. 41. curvat. 43. submittit. 44. fecundi leporis. 46. nulli patuit —— palatum. 48. nequaquam satis in re una consumere curam. 49. solum hoc. 51. suppones. 57. quatinus ima petit. 59. innatat. 61. in morsus —— malit. 65. quod pingui. 66. putruit. 71. venucula. 72. albanam —— duraveris. 73. allec. 74. inveni. 78. movet. 79. frusta. 80. crateri. 82. consistit. 86. reprehendi. 87. nequeant. 90. memori referas. 92. quem tu. 93. at mihi.

Sat. II, 5.

3. doloso. 4. non satis —— patriosque. 5. nulli quicquam. 6. neque illic. 8. alga est. 11. privum. 16. ne tamen. 18. utne. 21. tuli. 23. et dicam. 24. neu si. 29. vocat. 31. fecundave. 33. tua virtus. 36. quassa nuce. 37. neu sis. 38. fi cognitor. 39. persta. 41. furius —— conspuet. 44. thinni. 47. nudet te, leniter. 48. ut et scribare. 50. fallit. 54. multisne. 56. deludet. 60. magnus mihi donat apollo. 61. scilicet edam. 66. tum gener hoc faciet. 67. negatas. 68. tandem et tacitus. 70. ad haec. 71. libertusve —— illis. 73. vincit. 74. scribet. 75. caveas roget. 79. magnum donandi parca. 81. penelope. 82. gustaret. 84. quod dicam. 87. sic posset. 89. neu desis. 90. offendet —— ultra. 91. non etiam sileas. 93. increpuit. 95. substringe. 96. ohe. 97. urge sine et sub-

sequente. 100. quartae sit partis ulixes. 101. ergo nunc. 102. nusquam est. 103. illacrimare, est. 105. permissum. 106. laudet. 109. 110. Inter hos versus haecce verba leguntur: adhuc haberem, sed me aliquid tibi dicere. Quod notabile emblema liquet ex Lb. MS. originem duxisse, in cuius margine grammaticus quidam Horatianum sed me etc. sic enarraverat: adhuc haberem aliquid tibi dicere, sed me. Id vero bonus librarius non assequutus, ne quid perderetur, non solum grammatici enarrationem, sed etiam suprascriptum sed me in ordinem versuum recepit.

Sat. II, 6.

1. magni. 3. auctius atque. 4. nil amplius oro. 7. culpave. 8. si veneror —— o si. 9. denormat. 10. fors quae. 13. si quid. 15. custos mihi. 19. libitinae quaestus. 21. operum primos. 22. sic dis. Versus 24 et 25 exciderunt. 27. quod mi obsit —— locuto. 28. in turba et facienda. 29. quid vis insane? et quas res agis, improbus urget. 30. iratis precibus —— pulses —— obstat. 31. recurras? 32. melli, non mentior, at simul altas. 35. rocius orabat. 42. ad hoc. 43. concedere. 45. frigora laedunt. 46. rimosa bene deponuntur in aure. 48. sq. spectaverat —— luserat. 52. quoniam. 54. derisor ad omnes. 55. caesar an est. 57. mirantur et unum. 60. quando te adspiciam. 66. vescor. 67. prout cuique. 70. humescit laetius. 72. nepos saltet. 76. quid eius. 77. cervius —— vicinus. 78. si quis nam. 82. attentus. 83. neque ille. 90. quid te iuvat. 92. vis tu. 94. neque ulla est. 95. bone. 98. 102. domo. 105. canistris. 108. vernaliter. 109. praelambens. 110. cubans gaudet. 111. cum subito. 116. est opus hac.

Sat. II, 7.

Haec Satira cum antecedente unam constituit, ut in Cdd. vetustissimis.

4. decembri. 9. anellis, ut v. 53. anulo. 11. aedibus ex magnis. 13. doctor athenis. 15. volarenius. 15. cyragra. 17. in purgum. 18. conductum —— idem. 19. tanto levius miser, acrior illo est. 20. iam —— iam —— laborat. 21. non dices hodie —— tendant. 22. laudas. 26. quia non firmus. 27. nequicquam ceno cupiens evellere. 29. si nusquam forte vocatus. 30. sq. usquam vinctus eas. 34. feret ocius et quis. 35. fugisque. 38. supinor. 39. si quid vis. 42. stultior ipse. 45. crisippi (ut Sat. II, 3, 44. 287.) —— edo. 47. dignius. 48. incendit. 49. excepit. 51. dimittit —— sollicitum, ne. 56. induceris. 58. uri virgis. 60. demisit. 62. in ambos. 63. in corruptorem vel iustior. 64. peccatque superne. 65. formidet —— credat. 67. committes —— et cum corpore. 68. credo, metues doctusque cavebis. 69. quaeres. 71. reddit se. 77. privat.

78. super dictis —— non levius valeat. 80. quid sum ego. 82. mobile lignum. 83. sibi omissum est. 84. nec mors. 85. contemnere honores. 89. quid noscere. 93. acres. 94. subiectat —— vexatque. 96. qui peccas. 97. placidi iani. 99. pugnent, feriant vitentque. 100. nequam et cessator. 103. responset. 106. nequeunt obsonia. 107. inamarescunt. 109. sq. uvam furtivam mutat strigili. 113. vitas fugitivus et erro. 115. nam comes. 116. lapidem.

Sat. II, 8.

1. ùt nasidieni iuvit te cena beati. 2. quaerenti convivam —— here. 3. numquam. 4. fuerit melius. da. 6. lucanus aper, leni. 8. lassum. 9. pervellunt. 10. his ut. 14. procedit. 15. alcon. 18. divitias miseras, sed. 21. sic memini. 22. quas. 23. super ipsum. 24. simul absorbere. 25. ad hoc. 29. passeris atque. 30. porrexerit. 31. post hoc. 34. moriemur. 35. poscunt maiores. 36. tunc. 39. alliphanis. 40. imis. 46. de succis. 50. mutaverit. 52. illotos curcillus. 53. quod testa marina remittat. 55. in patinam. 57. nichil, ut ubique. 58. rufus. 68. districtum. 71. ruant. 75. precaris. 77. in lecto quoque. 79. mallem ludos. 82. non dentur. 83. rerum balatrone secundo. 86. discerpta. 87. sale multo. 88. anseris albi. 89. avulsos. 90. quis edat. 91. palumbes. 92. suavis res. 93. sic nos. 94. velut illis. 95. afflasset —— afris.

Scribebam Berolini m. Octobri a. MDCCCLV.

Ioannes Apitzius.

CONIECTANEA

IN

SATIRARUM LIBRUM PRIMUM.

SAT. I.

V. 1. sqq. **Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem**
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?

Tam praeiudicata opinione, primam hanc Satiram primum quoque Horatii specimen poeticum fuisse, quam eius argumento secus intellecto nonnullisque locis vel sine causa vellicatis (velut v. 13. sqq. et v. 120. sq.) vel minus recte tractatis (ut v. 23. sqq. et v. 108. sqq.) factum est, ut maxime Heindorfius compositionem huius sermonis reprehenderet. Is autem libellus minime Horatii primus fuit, quippe qui ab initio omnino non poemata Latina, sed versiculos Graecos fecerit, quamobrem principium Epist. I, 1. *Prima dicte mihi, summa dicende camena* neque ad Sat. I, 1. nec ad Carm. I, 1. referri potest, sed potius ad praedicandi formulam usque ab Homero pervagatam et dudum a Lambino aliisque illustratam revocari debet, ita ut haec appellatio honorificentissima evadat: *ineunte carmine mihi dicte, exeunte dicende*, i. e. *A et Ω meum*, uti iam in dissert. de aetate poematum Horatianorum a R. Bentleio inventa p. 10. docuimus. Nec gravius est, quod ait Heindorfius, argumentum sermonis *videri* in initio pronuntiatum esse, nam si aliis etiam aliter videatur, facile Horatius plectatur multipliciter,

prorsus ille quidem immeritus, quoniam unum dumtaxat argumentum primarium habuisse potest. Atque hoc argumentum, opinor, satis dilucide unoque tenore inde a v. 28. usque ad v. 107. excussit, scilicet avaritiam. Quocirca sermo de hominibus sorte sua non contentis minime potior est, sed solummodo et exordiendo et finiendo argumento primario inserviebat, qua in compositione plane non reperio, quod recte castigari queat. Singuli denique loci, propter quos Horatius correptus est, partim integerrimi sunt, partim nonnihil corrupti, ut deinceps videbimus.

V. 2. pro *illa* haud pauci Cdd. *ulla* habent, quod maxime Fea ut *elegantius et plenius* vulgato *illa* anteposuit. At Itali interpretatione *alterutra* admissa quisque dicitur utramque sortem sibi seu ratione datam seu forte fortuna obiectam respuere, ergo tertiam quamdam, nec ratione electam neque casu oblatam exoptare, quae sententia non elegantior et plenior, sed una omnium absurdissima est. Pronomen *sibi* acuendum esse patet, ut poeta *suam* quemque sortem seu ratione captam sive fortuitam increpare, contra aliorum praedicare enuntiaverit.

V. 4. sq. O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.

Omnes Lb. MSS. *annis* contestantur, quod post Bouhierium, qui *armis* coniecit, critici tum acriter defendebant, tum vehementer explodebant. Qui *annis* dimittere nolunt, ii potissimum annos militiae neque vitae significari aiunt. Ecquis vero illum, qui multos per annos militavit, simpliciter *gravem annis militem* perhibuerit? Et si epitheton *gravis annis* non de aetate, sed de militia intellexeris, quid hinc insigne lucraberis? Imo miles gravis annis militaribus multo etiam aetate provectior est quam gravis annis natalibus, ita ut miles Horatianus epitheto *gravis annis* ad militiam relato longe etiam senior evadat quam eodem epitheto ad aetatem revocato. Itaque in Scyllam inciderunt, qui Charybdin vitaturi erant. Accedit autem, quod poeta aperte generales hominum ordines generalesque eorum molestias in medium attulit. Sed miles *gravis annis* seu *annosus* generalem ordinem nec apud Romanos neque alibi umquam constituit, quare talis omnino appositus esse nequit. Cfr.

Ov. Amor. I, 9, 3. sq. *Quae bello est habilis, veneri quoque convenit aetas: turpe senex miles, turpe senilis amor.* Praeterea post *gravis annis* quid sibi velit additamentum *multo iam fractus membra labore?* An membra militis annosi multo fracta labore pro re quadam extraordinaria ducenda sint, ut *iam*, quo maturior indicatur fractura, recte locum habere possit? Tum militi iam annoso nequaquam licuit v. 30. sq. profiteri, sese ferre laborem hac mente, ut *senex* in otia tuta recedat, unde clarissimum in modum patescit, iuniores solum homines sorte sua non contentos hic castigatos esse. Deinde permirum debet videri, quod tantum miles annosus conditionem suam conquestus sit, quum plane pari ratione quilibet quoque alius operarius annosus sortem suam accusare posset. At vero senectus cuiusque hominum ordinis a quaestione Horatiana prorsus abludit, quia querelae a senectute repetitae non in singulos tantum hominum ordines, sed in cunctos cadunt mortales. Quae quum ita sint, coniectura Bouhierii nihil reperias probabilius, nec audiendi videntur, qui illam refutare conati sunt.

V. 7. sq. Militia est potior. Quid enim? Concurritur, horae
Momento cita mors venit aut victoria laeta.

Aliquot membranae *quid ni?* offerunt, quod vulgato *quid enim?* minime praestat. Valet scilicet *quid ni?* i. q. *quid est nisi hoc?* et *quid enim?* i. q. *quid enim est nisi hoc?* Alterum liquet altero esse concitatius ideoque hic convenientius. Magis vero *aut* improbandum videtur, quod in v. 8. quattuor Cdd. Lambini post *momento* insertum habuerunt, licet Bentleius duplex *aut* elegantius et magis Horatianum atque simplex adeo ominosum plane et infaustum arbitratus sit. E contrario enim idem auctor simplex *sive* mori prorsus Horatiano tribuit ad Sat. I, 10, 78. Neque patet, quo pacto simplex aut ominosum plane et infaustum iudicare potuerit, qui duplex *aut* modo magis Horatianum, simplex ergo saltem Horatianum censebat. Imo duplex *aut* hic ne admitti quidem potest, quod neutiquam cita mors et victoria laeta sibi opponuntur, ita ut illa summum malum, haec summum bonum aestimetur, sed cita mors et magis etiam victoria laeta praedicatur. Nempe *aut victoria laeta* adscendentis est ad maius, veluti Carm. I, 12.

princ. *Quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumis celebrare, Clio?*

V. 15. sq. Si quis deus, en ego, dicat,
Iam faciam quod vultis —

En ego negat Orellius cum verbo *faciam* copulandum esse, quod sit *en ego adsum.* Verum si *en* alibi cum *adsum* iungitur, num inde etiam consequatur, simplex *en* idem esse atque *en adsum?* Quod ad hyperbaton attinet, compares Ov. Amor. II, 9, 25. *Vive, deus, posito, si quis mihi dicat, amore.* III, 4, 35. *Scilicet ut possit custos, ego, dicere, feci.* Fast. IV, 557. *Cui dea, dum non es, dixit, scelerata fuisti.* Hor. Sat. I, 1, 49. sqq. *Vel dic, quid referat, intra naturae fines viventi, iugera centum an mille aret?* I, 2, 17. sq. *Maxime, quis non, Iuppiter! exclamat, simul atque audivit?* I, 4, 124. sqq. (Epist. II, 3, 330. sq.) *An, hoc inhonestum et inutile factu necne sit, addubites, flagret rumore malo quum hic atque ille?* Similia ad Sat. I, 5, 72. allegabimus.

V. 23. sqq. Praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima:
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Ille gravem —

Haec fere est scriptura vulgata eamque omnes propemodum Lb. MSS. confirmant, nisi quod nonnulli *praetereo,* plures *nec sic,* aliquot *quis vetat* exhibent. Nullum quidem verbum lectionis vulgatae immutandum est, Horatium autem a iocoso sermone ad serium sic sibi transitum parasse, ut nunc vulgatur, incredibile videtur, quum via admodum contorta usus esset. Haec tamen nonnisi ex prava verborum distinctione exstitit, nam poeta non aliter transgressus est ac Sat. II, 3, 179. *Praeterea ne vos titillet gloria.* Apodosis vero non continetur v. 27. *sed tamen amoto quaeramus seria ludo* (etenim haec apodosis sententiam reddit non ita absimilem illi Plautino Capt. in. *Hos, quos videtis stare hic captivos duos, illi qui adstant, hi stant ambo, non sedent),* sed a v. 28. incipit et verba *quamquam ridentem dicere verum quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa velint ut discere prima, sed tamen amoto*

quaeramus seria ludo in parenthesin redigenda sunt. At qualis, dixerit quispiam, ista est apodosis *ille gravem* etc.? Maxime proba, inquam. Deest, ut saepissime, *scito* seu *sic habeto*, sicuti Epist. I, 1, 13. sqq. *Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter: nullius addictus iurare in verba magistri, quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.* I, 12, 25. sqq. *Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res: Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis Armenius cecidit.* Cfr. Epist. I, 18, 58. sqq. I, 19, 26. sqq. 35. sqq. II, 1, 208. sqq. Sat. I, 2, 23. II, 1, 80. sqq. II, 2, 112. sqq. Pro puncto igitur post *ludo* vulgato colon restituendum est. Nec amplius velim verba *ut qui iocularia* cum Horatii interpretibus explicari. Male quidem Bentleius ad Sat. I, 8, 32. construxit *ut qui iocularia ridens est*, proinde quasi etiam *seria rideri queant.* Alii *percurrit* supplent, cui verbo Heindorfius *narrat* anteferebat, de hac ellipsi Bentleium l. c. testatus, qui de verbo *esse* supplendo egit. Alii *ridens percurrit* mente concipiunt. At nec *percurrit* neque *ridens percurrit* animo suggerendum est, sed verbum *agit*, ut Cic. Fin. II, 26. *quicum ioca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia?*

V. 28. sqq. Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt — .

Qui sortem suam supra accusaverant, neque tamen voluerant cum alia commutare, eorum iam causa affertur, cur in vitae suae conditione acquiescere resque suas adversas perferre malint. Quae quidem causa quum ad iurisconsultum gratuito respondentem non quadraret, is ab Horatio hic omissus est. Ut autem idem saltem numerus denuo in scenam prodiret, secundum plerosque MSS. locum iurisconsulti perfidus caupo occupavit, quae nova persona, nisi qui praeter ipsum numerum quaternarium nihil curat, nemini potest arridere. Quid, obsecro, ille nebulo inter honestos homines laboriosos? Quid eidem cum sedula formica commune? Quando iste tenebrio fervidum aestum aut hiemem, ignem, mare, ferrum lucri causa sustineat?

2

Cur insuper solus miles epitheto suo careat, ceteris ordinibus non inornatis? His aliisque de causis non dubitamus, quin nomen *caupo* suppositicium et *campo*, quod plures Feae Cdd. servarunt, sincerum sit. Aeque autem adiectivum *perfidus* falsum est, siquidem perfidiae nota ab hoc loco, ubi de solo disseritur labore, omnino abhorret. Quale epitheton ab Horatio profectum sit, epithetis agricolae et mercatoris commonstratur, scilicet tale, quo miles dictus est laboriosus. Quod quum plurimi vv. dd. non attenderent, permultae coniecturae alienissimae expromtae sunt. Omnium maxime laudabilis est Obbarii **peruicus**. Nescio vero an poeta scripserit **perficus** *hic campo miles*, sequutus Homerum Il. III, 14. μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο. Cfr. Meinek. ad Carm. I, 31, 5.

V. 61. sqq. At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? Iubeas miserum esse —

Notabilis est criticorum dissensio de vocabulo *miserum*, quod in omnibus paene Lb. MSS. repertum imprimis Bentleius in *miseram* converti voluit. Contra Gesnerus: „frequens, inquit, nimis est in talibus synesis; nimis grata talis negligentia, quam ut corrigendam putem manum Flacci, non modo librariorum.“ Wolfius *miseram* adeo Romano sensui repugnare existimavit. Heindorfius Horatium praemissi nominis *pars* oblitum *miserum* apposuisse opinatus est, quod naturae magis consentaneum ac venustius videatur. Verum omnibus his enuntiatis ne minimum quidem proficimus. Pervagata sane est constructio ad sensum, ita ut poeta optime dicere posset *decepti* — *illis* — *miseros*, uti Liv. V, 40. *pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas.* Salust. Iug. 14. *pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt.* Ibid. 58. *magna pars vulnerati aut occisi.* Attamen masculinum genus numeri singularis, quoniam *bona pars hominum* non unum hominem, sed multos complectitur, utique offensioni esse potest. Sed id quoque idoneis auctoribus non caret, e. gr. Virg. Aen. 624. sq. *pars pedes ire parat campis, pars arduus altis pulverulentus equis furit.*

V. 86. sqq. Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet quem non merearis amorem?
At si cognatos, nullo natura labore

Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos:
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.

Praeter vulgatum *at si* in Cdd. *an si*, *ac si*, *an sic*, *an qui* reperimus. Nobis horum omnium nihil placet, quia sententiae inde existunt tum plus, tum minus improbabiles. Lectionem vulgatam, in qua expedienda *nullo labore* aut modo cum verbis *retinere servareque* coniungitur, aut *ἀπὸ κοινοῦ* positum censetur, propter sequens *operam perdas* absonam esse iam Bentleius monuit, surdis ille quidem auribus canens, etsi qui nullum impendat laborem, eum operam perdere posse nemodum demonstravit. Uti autem verba *retinere servareque* notam quamdam avaritiae quam maxime exigunt, ita vocula *si* facillime possumus carere. V. ad Sat. I, 4, 15. Proinde veri est simillimum, Horatium *at sic* nec *at si* exarasse. Vocabula *sic* et *si* in Lb. MSS. saepenumero permutata sunt, v. c. Sat. II, 3, 1. et II, 8, 21. Nostrum *sic* vero significat *so*, *ohne Weiteres*, quemadmodum Sat. I, 2, 106. *leporem* —— *positum sic tangere nolit.* Ter. Andr. I, 2, 4. *Mirabar*, *hoc si sic abiret*, ubi v. Donat.

V. 94. sq. ne facias quod
Ummidius quidam. Non longa est fabula.

Et hic et saepe alibi (e. c. Carm. III, 29, 5. sqq. *Eripe te morae*, *ne semper udum Tibur* — *contempleris*, ad q. l. adhibe verba Iuvenalis VI, 333. sq. *mora nulla per ipsam*, *quominus imposito clunem submittat asello)* *ne* et *nec* a librariis confusa sunt.

De permultis autem nominibus, quae in v. 95. Lb. MSS. habent, nullum nobis magis Horatianum videtur quam *Nummidius*, pro quo Charisius p. 202. *Numidius* offert. Nollem enim sic iudicasset Orellius: Mire acumen nescio quod quaesiverunt quidam in corrupto illo v. *Nummidius*, quasi vero significanter ita a *nummis* dicta esset persona aliqua ficta.“ Nam qui ita sentiunt, ii indolem satirae Horatianae vel ipsius poetae parum perspectam habent. Notum est, Horatium ex pugna Philippensi Romam reversum statim ad poesin factitandam compulsum esse, quum omnibus opibus perditis in summas redactus esset angustias. Athenis vero a curvo dignoscere rectum atque inter silvas

Academi verum quaerere doctus et mores civium suorum vehementer depravatos animadvertens in iis, quas tractaret, rebus eligendis non multum videtur haesisse, praesertim quum ipse probe educatus atque integrior esset et in aliis quidem poesis generibus principes iam reperiret, necdum vero in satira. Nonnullis igitur versiculis Graecis factis satiras scribere et vitiis Romanorum carpendis quasi virtutis verae custos rigidusque satelles mores sinceros revocare aggressus est. Ridens autem verum dicere instituit, quia ridiculum magnas res acri plerumque fortius meliusque secare censebat; neque leviora perstrinxit vitia, quia neminem sine vitiis nasci atque optimum illum esse credebat, qui minimis urgueretur. Quare semet ipsum quoque vitiis non vacare frequentius candide professus est, velut Sat. I, 3, 20. I, 4, 130. sq. I, 6, 65. sqq. Epist. I, 20, 25. Carm. I, 16, 22. sqq.

Sed quo efficacius secaret, more quodam a patre accepto exempla apponebat. Minime ergo animi causa petulanterque aut prava omnino ratione, veluti calumnia, invidia aliisque stimulis similibus commotus, sed iusta tantummodo vellicandi causa suppetente ensem stringebat satiricum, neque tam ipsas, quas notabat, personas quam vitia earum castigabat. Quibus de causis exempla nominibus argumento lepide adaptatis creberrime adhibebat, nec solum homines adhuc vivos, verum pridem etiam mortuos in scenam producebat, id quod praeter alios Heindorfius (ad Sat. I, 1, 111.), poetam etiam mythicas personas (Sat. II, 3. II, 5.) atque adeo semet ipsum (Sat. II, 3. II, 7.) induxisse prorsus oblitus, non poterat non demirari, quum plerumque de Horatio *ultore* cogitaret, quam pravam suspicionem ineptis potissimum scholiastis debemus. Cfr. ad Sat. I, 7, 1.

Itaque nomen *Nummidius* non minus ab ipso poeta fictum putamus quam *Apella* (recutitus, Ohnehaut), *Balbinus* (balbus, Stammler), *Canidia* (vetula, Vettel), *Cupiennius* (salax, Wollüstling), *Gorgonius* (hirsutus, Zottelbär), *Nasidienus* (nasutus, Spürnase), *Novius* (novitius, Neuling), *Malthinus* (mollis, Weichling), *Pantilius* (nihil non vellicans), *Pantolabus* (mendicissimus), *Sagana* (saga), *Sectanus* (ama-

tor), *Villius* (crispus), alia, quae nomina ex monumentis antiquis aut illustrare aut emendare conamen eiusmodi esse videtur, quod nobis saepe bilem, saepe iocum movere possit. Ecquis umquam, si ab nonnullis fabulatoribus discesseris, nomina puellarum puerorumque ab Horatio amatorum, quo pertinent Barine, Chloe, Chloris, Cynara, Galathea, Glycera, Inachia, Lalage, Lyce, Lyde, Lydia, Myrtale, Neaera, Pholoe, Phryne, Phyllis, Pyrrha, Tyndaris, Ligurinus, Lyciscus, pro veris ducere et ex monumentis antiquis examinare ausus est? Ceterum nomine *Nummidius* haud scio an idem notatus sit homo avarus et sordidus, qui Sat. II, 2, 55. *Avidienus* vocatus est. Sequens *non longa est fabula* ab antecedentibus puncto distinguas, sicut Cic. Tusc. I, 47. *Nota fabula est.*

V. 101. sq. Quid mi igitur suades? Ut vivam Maenius aut sic Ut Nomentanus?

Duo Lambini Cdd. *quidne igitur*, quod per se non reiiciendum (cfr. Sat. I, 10, 29. II, 2, 107. II, 3, 295. 317.), lectioni vero vulgatae minime anteferendum est. Quamvis enim elisio longae vocalis brevi subsequente minus probetur, tamen illam Horatius cum optimis poetis saepissime admisit (v. c. Sat. I, 1, 59. I, 3, 22. I, 6, 112. I, 8, 23. I, 9, 76. II, 2, 55. 114. II, 3, 16. 41. II, 5, 23. II, 6, 92. II, 7, 24. 53.), passim etiam eadem vocali repetita, sicut Sat. I, 2, 30. *contra alius.* II. 2, 63. *quali igitur.* Epist. I, 2, 29. *aequo operata.* I, 7, 24. *me etiam.* I, 14, 37. *obliquo oculo.* Sed Sat. I, 9, 30. *mota anus* huc non retulerim.

Verbis sqq. *ut vivam* etc. avarus homines sibi plane contrarios reponit Maenium ac Nomentanum, tamquam ambos una in se recepturus, quo eodem modo Sat. I, 2, 126. Ilia et Egeria consociatae sunt. Male enim prodigi paene gemelli vulgo vocula *aut* dissociantur, pro qua *ac* legendum esse clare etiam ostendit responsum Horatii v. 103. sq. *non ego, avarum quum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem,* ubi nemo, opinor, *aut* pro *ac* substituere conabitur. Ordo autem verborum hic est: *vivam ut Maenius ac sic ut Nomentanus?* neque Heindorfio auctore: *ut vivam sic ut Maenius aut ut Nomentanus?* Similiter *ut* traiectum est Epod. VI, 16. *An — inultus ut flebo puer?* Item coniun-

ctivus verbum *suadere* excipit Epist. I, 1, 65. *Isne tibi melius suadet, qui rem facias* etc.

V. 108. sq. Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentes?

Sic plerique Lb. MSS., sed nec admirationem neque interrogationem genuinam esse non ita difficile est ad intelligendum, quare ipse poeta immerito reprehendebatur. Posteaquam enim avaritiam amplissime castigavit, iam ad initium sui sermonis revertitur et ad quaestionem propositam, *qui fiat, ut nemo sua sorte contentus vivat, laudet diversa sequentes,* non potest non respondere, *avaritiam in causa esse, ut suam quisque sortem aspernetur.* Atque hoc ipsum responsum vocabilis *ut avarus* (i. e. *utpote avarus*) luculenter continetur, ceteris verbis quaestionem superiorem repetentibus. Haud dubie igitur Horatius exhibuit *illuc, unde abii, redeo. Nemo ut avarus se probet ac potius laudet diversa sequentes, quodque* etc. De hiatu, quem iam Lambinus ad Epod. XI, 10. tractavit, cfr. Carm. I, 28, 24. *capiti inhumato.* Epod. XIII, 3. *Threicio aquilone.* Unde autem tam multi Cdd. *nemon'* et antiquissimus ille Blandinius *qui nemo ut* etc.? Orellio iudice haec mera sunt metricorum inventa ad fulciendum ut opinabantur versum necessaria. Minime vero. Sunt manifesta grammaticorum Romanorum vestigia atque egregia documenta inscitiae librariorum. Nempe grammatici hunc locum commentantes ad verba *illuc, unde abii, redeo* tum merum initium huius sermonis (*qui* etc.) adhibuerant, tum ipsi quaestionem (*nemone* etc.) conformaverant. Quas notas scribae more suo inseruerunt, unde plerique MSS. *nemon'* habent et celebratissimus Blandinius unicum istud *qui* praestat, quod nihil nisi huius sermonis vocabulum primum est, ut etiam hinc clarescit, quod idem *qui* in alio Cruquii Cd. super *ac* demum inculcatum est.

V. 120. sq. Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Hic exitus Heindorfio displicebat, quod tali modo unumquodque poema simile finiri posset. Attamen poeta simplici formula *haec hactenus* vel consimili, qua quilibet sermo terminari queat, non usus est, neque quisquam contenderit,

notatam aretalogi Crispini loquacitatem in quoque sermone extremo commode locum habituram fuisse. Longe etiam simpliciores sunt exitus Sat. I, 10. *I puer atque meo citus haec subscribe libello* et Sat. II, 5. *Sed me imperiosa trahit Proserpina: vive valeque.*

Pro *lippi* Bentleius suo Marte *lippum* invexit, quod ei impudentis hominis et stolidi esse videbatur, imo communi plane sensu carentis, Crispinum ob lippitudinem deridere, quum ipse eodem oculorum vitio laboraret. Verum quod Bentleio non ita raro accidit, quam maxime contrarium nos docuit ad Sat. I, 7, 3. mentionem lipporum urbane factam demonstrans. Contra Heindorfius hoc loco *lippi* tueri studuit, sed ad Sat. I, 2, 91. ait: „Der Spott wegen der Augenschwäche wäre des Dichters unwürdig.“ Bentleiana tamen lectio a Reisigio Coniect. in Aristoph. p. 314. sq. defensa est. Is quidem Horatium, si minus inhumane, certe ieiune ac sine ullo lepore Crispino in hoc loco morbum oculorum obiecisse arbitratus, si modo dixisset *lippi*, verba *scrinia lippum compilasse* explicabat *scrinia male compilasse*, sicut Sat. I, 3, 25. *lippum pervidere* sit *male pervidere*. Lippum enim malum furem putari. At si lippi nonnumquam mali fures sunt, inde profecto nondum efficitur, lippum etiam significare *malum furem* aut adeo *male*. Nec ullo modo apparet, cur ipsius Crispini neque Lucilii aut alius auctoris scrinia memorata sint, si Crispinus epitheto destituitur. Huc accedit, quod de garrulitate nec furacitate Horatii agitur, namque verba *ne me Crispini scrinia lippi compilasse putes, verbum non amplius addam* nonnisi antecedens enuntiatum *iam satis est* amplius persequuntur. Quocirca quispiam suspicari possit, non *lippi*, sed *inepti*, ut Crispinus Sat. I, 3, 138. nuncupatus est, ab Horatio exaratum eoque vocabulo garrulum designatum esse. Equidem tamen nihil refingam, quia *lippus* hoc loco perinde garrulum indicat atque Sat. I, 7, 3. *omnibus et lippis notum et tonsoribus*, ubi quidem interpretes longe alia commenti sunt. Nempe quum *tonsores* pro *tonstrinis* dictos putarent, medicarum tabernarum mentionem aequalem desiderantes non multum haesitabant, unde has quoque procrearent. Statim *lippi*, ut plurimum ad medicinas confluentes, *pro tabernis medicis* po-

siti existimabantur. Sed si in universum ipsi homines pro illis, quos frequentant, locis substitui possent, nomen *homo* profecto innumeras habere deberet significationes nec raro vehementer mirabiles. Itaque aegre perspicias, qui talis machina sibi fidem potuerit comparare. Horatius videlicet solos commemoravit tonsores neque magis illos homines, qui adirent tonsores, quam quos reviserent tonsores. Item solos apposuit lippos et cur eos una cum tonsoribus adduxerit, tota loci sententia aperitur. Tonsores enim iam olim erant tales, quales hodieque esse solent, nempe garruli; neque minus loquaces vulgo lippi erant, ut ipsa eorum compositio cum tonsoribus monstrat. Ergo *lippus* Crispinus est *loquax* Crispinus, quem sibi Horatius, licet ipse esset lippus, hic aeque opposuit ac Sat. I, 4, 14. sqq.

SAT. II.

V. 12. sqq. Fufidius vappae famam timet ac nebulonis.
Dives agris, dives positis in fenore nummis
Quinas hic capiti mercedes exsecat —

Versus 13. iterum legitur Epist. II, 3, 421., quemadmodum versiculus *laevo suspensi loculos tabulamque lacerto* et Sat. I, 6, 74. et Epist. I, 1, 56. invénitur. Sane defensionis causa versus 27. *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum* ab Horatio Sat. I, 4, 92. iteratus est, sed illarum repetitionum non dubito quin grammatici Romani auctores exstiterint. Videtur versus 14. verbis *dives agris, dives positis in foenore nummis* illustratus esse. Frustra quidem, namque pauper omnino capiti nihil exsecare potest, quia nullum habet, quare Fufidium divitem fuisse neminem poterat latere. Attamen Heindorfius v. 13. significari voluit *quamvis dives sit agris* etc., huic autem protasi apodosis non respondet, quippe quae aptum contrapositum non contineat, nisi a nobismet ipsis inferatur. Neque protasis bene habet, quoniam, ut modo monuimus, pauperi omnino capiti nihil exsecare licet. Nec magis v. 13. cum v. 12. consociari potest, quapropter plures vv. dd. illum recte expunxerunt. Similia emblemata exstant Sat. II, 1, 22. et II, 3, 163.

V. 28. sqq. Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste,
Contra alius nullam nisi olente in fornice stantem.

Postquam civibus suis nil medium esse poeta docuit, iam ad primarium huius sermonis argumentum excutiendum aggreditur. Quamvis enim ipse rebus amatoriis non minimum indulgeret, tamen nec mala lustra frequentabat, neque moechas sectabatur, sed venere usus concessa purus et insons, ut Romanus, vivebat. Vulgaris vero in libidinibus explendis licentia extra ordinem rectum egregie evagabatur, ita ut adulteria et impudicitiam Romanorum Augustus tandem anno DCCXXXVI u. c. lege Iulia compescere coactus sit. Itaque iam hac Satira, quae non ita multo post pugnam Philippensem conscripta est, Romani, quum nullis in rebus auream servantes mediocritatem aut turpi meretricis amore captarentur, aut feminas sectarentur nobiles, ad venerem revocantur concessam.

Cum *subsuta instita veste* Heindorfius contendit Sat. I, 5, 58. sq. et II, 1, 56. Orellius hypallagen negabat, quod extremus stolae margo subsuatur institae. Horatius vero vestem dixit subsutam, non extremum stolae marginem. Quamobrem qui hypallagen hic admittere noluerit, potius cum Reisigio rescribat *sub suta*, ita ut opposita sit *vestis texta*.

V. 36. mirator cunni Cupiennius albi.

Nec de candida stola matronarum, neque de teneritate et mollitie stolatarum pulveris solisque impatientium, nec de ipsa muliere (ut Sat. I, 3, 107.) hic cogitare licet, quia Cupiennius, i. e. homo salax, merum cunnum *feminae albae*, non olente in fornice fuliginatae reposcit. Amplissimus usus adiectivorum pro genitivo nominis substantivi grammaticos creberrime fefellit. Cfr. v. 45. *testes caudamque salacem*. Ibid. 70. sq. *magno prognatum* —— *consule cunnum velatumque stola*. Sat. I, 10, 51. *forte epos*. II, 3, 35. *sapientem* —— *barbam* (ut Carm. I, 15, 19. sq. *adulteros crines*, ubi ad antecedens *tamen* —— *serus* adhibeas Virg. Ecl. I, 28. *Libertas, quae sera tamen respexit inertem)*. II, 4, 87. *divitibus* —— *mensis*. II, 6, 30. *iratis precibus*. Ibid. 69. *legibus insanis*. Ibid. 79. *sollicitas opes* (ut Carm. I, 35, 5. *sollicita prece)*. Ibid. 87. *dente superbo* (ut Carm. IV, 3. 16. *dente* —— *invido)*. II, 8, 18. *divitias miseras* (ut Carm. III, 29, 58. *miseras preces)*. Epist. I, 19, 40.

grammaticas —— *tribus*. II, 3, 105. sqq. *moestum vultum* —— *iratum* —— *ludentem* —— *severum*. Carm. Saec. 53. sq. *manus potentes* —— *Albanasque* —— *secures*. Epod. VIII, 17. *Illiterati* —— *nervi*. Pers. V, 184. *recutita* —— *sabbata*. VI, 72. *patriciae* —— *vulvae*. Tib. I, 7, 36. *incultis pedibus*. Enn. apud Gell. N. A. XVIII, 5. *quadrupes eques*, quod praeter alios ipse Gellius non intellexit, ut iam ad Eur. Phoen. 1131. annotavimus.

V. 37. sq. Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent ——

Plures Cdd. *moechos* tuentur, quod Ennius comprobare dicitur his versibus: *audire est operae pretium, procedere recte qui rem Romanam Latiumque augescere vultis*. Quasi Ennius, de re agens nec de persona, alium casum quam accusativum *rem Romanam* usurpare potuerit. Imo dativus *moechis* non tentandus videtur, sed potius sequens *non*. Acute enim Meinekius animadvertit, non adversarios moechorum docendos fuisse, hos ab omni parte laborare, sed moechorum fautores. Itaque *rem* pro *non* restituendum esse optime coniecit, qua emendatione verba Horatiana Ennianis etiam similiora redduntur.

V. 44. sqq. quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro.

Sic plerique MSS. neque est, cur hinc recedamus atque hanc vel illam minus munitam lectionem praeferamus. Dativus personae, qui desiderabatur et corruptionis ansam dabat, recte desiderari nequit, quia *testes caudamque salacem* significat *testes caudamque hominis salacis* seu *Cupiennii cuiusdam*. V. ad v. 36.

V. 48. sq. Salustius in quas
Non minus insanit quam qui moechatur.

Bentleius, plerumque ex exemplis sive aptis sive absonis suspensus, *in qua* emendabat, quod postea in uno Cd. invenit, ut ei frequentius accidit. Sed *in quas* moribus Salustii magis respondet quam *in qua*, namque *insanire in aliquam* aliquanto plus valet quam *insanire in aliqua*. Nimirum *insaniens in aliquam* ex insania quadam non circumscripta seu infinita, *insaniens in aliqua* ex insania qua-

dam circumscripta sive fixa laborat. Cfr. Sat. II, 3, 201. *Quorsum insanus* etc.

V. 62. sq. Quid inter
Est, in matrona, ancilla, peccesve togata?

Hanc vulgatam scripturam mendosam esse iam Bentleius vidit, sed quod idem multique alii vv. dd. ex compluribus membranis receperunt *peccesne*, id, si tres personas propositas statuis, soloecum; sin duas, ideo absurdum est, quod ancilla Romana non erat togata. Praeterea vero non omittendum puto, ancillae mentionem omnino esse miram, quum hucusque de matronis modo et libertinis disputatum sit. Unde ergo *ancilla* pedem intulerit? Solo, ni fallor, librariorum lapsu in scenam prodiit. Nempe ex considente hacilla vocem ancilla videntur procudisse, ut rescribendum sit *quid inter est, in matrona* hac, illa *peccesne togata?* Ceterum praepositio *inter* hic non magis est cum verbo suo virgula colliganda quam in vulgari tmesi (e. c. Sat. I, 1, 86. I, 6, 58. sq.), ubi nemodum ligamentum applicuit.

V. 64. sqq. Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.

Bene Servius ad Virg. Aen. VI, 612. *Salustium significat, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio uxoris suae, quae fuerat Fausta, Sullae filia.* Nimirum *Villius*, ut iam ad Sat. I, 1, 95. explicuimus, i. est q. *Crispus*, moechus ille iam v. 49. notatus.

Cum verbis sqq. *in Fausta Sullae gener* Bentleio praeeunte interpretes componere solent Tac. Ann. III, 24. *D. Silanus in nepti Augusti adulter*, unde plena oratio haec prodit: *in Fausta, Sullae filia, gener*, qui sermo non est Latinus. Fea coniunxit *Villius in Fausta* et participium *peccans* ex v. 63. videtur repetiisse, nam de ipsa explicatione nihil annotavit. Verum *Villius in Fausta peccans, Sullae gener, hoc miser uno nomine deceptus* aliquanto cumulatius atque impeditius est quam ut Horatio tribuerim. Speciosa contra Meinekii coniectura *Villius in Fausta* (sc. *peccans*) *Sullae* genero, sed eam verba *hoc miser uno nomine deceptus* vix admittant, quia non tam ad verum quam ad opina-

tum Sullae generum referri debent. Malim itaque lectionem vulgatam servare et sic interpretari, ut *in Fausta* significet *auf der Fausta* sive *Faustam stuprans* et sequens *Sullae gener*, ex ipsius Villii opinatione dictum, valeat *quasi Sullae gener*. Cfr. v. 125. sq. *Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum, Ilia et Egeria est.* Sat. I, 3, 137. sq. *dum tu quadrante lavatum rex ibis.* Epod. XVII, 58. sq. *Esquilini pontifex venefici impune ut urbem nomine impleris meo?* Quod ad simplex *in Fausta* pertinet, praeter alia contende v. 80. *huic inter niveos viridesque lapillos.* Sat. II, 1, 59. *dives, inops, Romae, seu fors ita luserit, exsul.*

Sunt autem, qui calamitatis a Villio acceptae Longarenum affirment auctorem fuisse. Imo Villio excluso tamquam fide quadam historica narrant Longarenum per grassatores nocturnas insidias tetendisse. At cui, obsecro, Villius *poenas dare* potuerit nisi coniugi Faustae Miloni? Ac ne huic quidem poenas dare potuit nisi in adulterio cum Fausta deprehensus, quod per se iam satis dilucidum diserte testantur Marcus Varro apud Gell. N. A. XVII, 18. et Asconius Pedianus apud scholiastas ad v. 41. Futilis igitur ista est fabula de Longareno insidiatore fluxitque tantum ex verbis *exclusus fore, quum Longarenus foret intus*, quae ipsa sunt perabsurda. Nam quum Villius a Milone pugnis caederetur ferroque peteretur, Faustam modo deprehensam rursus altero cum adultero rem habuisse credat Iudaeus Apella, et quo tandem modo Villius in adulterio cum Fausta deprehensus *exclusus fore* sive *non intromissus* dici potuerit? Has aliasque ob ineptias fac mecum versiculum 67. expungas, quem a stolido quodam grammatico secundum Macrob. Sat. II, 2. compositum arbitror.

V. 80. sqq. Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos,
Sit licet h o c, Cerinthe, t u u m, tenerum est femur aut crus
Rectius atque etiam melius persaepe togatae est.

Praeter *hoc, Cerinthe, tuum* Cdd. etiam *o Cerinthe, tuum* vel *hoc, Cerinthe, tuo* habent. Quum exclamatio vel suspirium quoddam ab hoc loco abhorreat, *o Cerinthe* ab Horatio haud dubie non profectum est. Perinde vero nobis displicet *nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos sit licet, hoc, Cerinthe, tuo* etc., etenim ut Horatii Cerinthum

pathicum fuisse ponamus, quid, quaeso, pathicus derepente inter scorta feminina? Praeterea post Cerinthi femur et crus comparatum mira foret illa appendicula *atque etiam melius persaepe togatae est*, quippe hac superveniente non modo matrona cum Cerintho ac togata, verum etiam Cerinthus cum togata confertur eique anteponitur, ut poeta amatoribus adeo Cerinthum prae omnibus et matronis et togatis commendasse videatur. His argumentis moti plus iam quam viginti abhinc annis ad Soph. Trach. 1203. legi voluimus *sit licet hoc, Cerinthe, tuum*, i. e. *mag dies deine Sorte sein, Cerinthus.* Genere neutro matrona inter niveos viridesque lapillos non sine contemtu denotata est, sicut Eur. Bacch. 453. sq. *ἀτὰρ τὸ μὲν σῶμ' οὐκ ἄμορφος εἶ, ξένε, ὡς ἐς γυναῖκας, ἐφ' ὅπερ ἐς Θήβας πάρει.*

V. 90. sqq. ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes.

En unum scholiastarum commentum de innumeris: *Plautia Hypsaea vitiosos oculos habuisse dicitur, quam hic amare in transitu percussit.* Auctor huius fabulae ne Horatium quidem recte intellexit. Hypsaea scilicet non solum caeca dicta, verum etiam Lynceo opposita necessario oculis capta erat, nec infirmitate oculorum laborabat. Cfr. Martial. VIII, 9. *Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat* lippus *Hylas,* luscus *vult dare dimidium. Accipe quam primum, brevis est occasio lucri, si fuerit* caecus, *nil tibi solvet Hylas.*

V. 101. sq. Altera nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam —

Perperam Lambinus conglutinavit *altera nil obstat Cois tibi*, velut si matrona Cois obstet. Nec tamen probo, quod post Heindorfium plures vv. dd. intulerunt, *altera, nil obstat*, nam etsi nominativus ille solutus apud auctores Latinos non rarus est, tamen exemplum trium vocabulorum nondum allatum video. Coniuncta autem verba *altera nil obstat* optime habent, siquidem ipsae personae pro suis rebus saepius ponuntur. Legimus adeo Sat. I, 5, 71. sq. *sedulus hospes paene —— arsit.* Contraria dictione viris doctis minus recte suspecta usus est Horatius Carm. I, 20. extr.

mea nec Falernae temperant vites neque Formiani pocula colles, i. e. *meus potus nec Falernis vitibus neque Formianis collibus paratur.*

V. 105. sqq. Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,
Cantat et apponit —

Adversarius Horatii laudat aequalium suorum cantilenam, quamobrem *cantat et apponit* non significat *er singt und fügt hinzu*, sed *man singt und fügt hinzu*, quomodo tertia persona numeri singularis omnium verborum nec solius verbi *inquam* bene usurpatur, ut iam ad Caes. B. G. V, 3. et ad Soph. Ai. 1081. explanavimus. Non attendebant ad id dicendi genus critici Sat. I, 3, 71. sq. *Amari si volet hac lege, in trutina ponetur eadem,* neque I, 9, 62. sq. *Unde venis et quo tendis? rogat et respondet* (ubi, ut hoc meminerim, post *venis* non magis signum interrogationis inserendum est quam Sat. II, 4, 1. post *unde).* Cfr. Sat. II, 6, 39. *Dixeris experiar: si vis, potes addit et instat.* Epist. I, 19, 43. sq. *rides, ait, et Iovis auribus ista servas.*

V. 111. sqq. Nonne, cupidinibus statuit natura modum quem,
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?

Varia lectio *statuat* eum, puto, auctorem habet, qui verba poetae minus recte construebat. Ordo est: *nonne, quem modum natura cupidinibus statuit, plus prodest quaerere, quid sibi negatum latura, quid dolitura sit, et inane soldo abscindere?* Est igitur *quem modum natura cupidinibus statuit* i. q. *qui modus a natura cupidinibus statutus est* seu *pro modo a natura cupidinibus statuto.* Cfr. Sat. I, 9, 54. sq. *Velis tantummodo: quae tua virtus, expugnabis.* Postpositum vero pronomen relativum non offendet, nisi qui egregiam Horatii in verbis ordinandis licentiam parum animadverterit. V. Carm. Saec. 9. Sat. I, 1, 89. I, 4, 80. 115. I, 5, 92. I, 7, 2. II, 7, 49. (104.) Epist. I, 16, 40.

V. 120. sq. Illam „post paullo, sed pluris, si exierit vir"
Gallis hanc Philodemus ait; sibi, quae —

Languidula nobis videtur sententia verborum *hanc Philodemus ait sibi, quae* etc. Longe fit efficacior, si *hanc* cum *illam* copulamus. Cfr. Cic. Tusc. III, 29. *Itaque*

Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem de Aiacis morte consolatus esset, is —— *fractus est*, h. e. *is, inquam, fractus est.* Off. III, 3. *Illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis, neque a virtute divelli umquam potest.* Cuius generis plura ad Soph. Trach. 802. allegavimus.

V. 125. sq. Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum,
Ilia et Egeria est —

Plures vv. dd., inter quos etiam Reisigius, *dextrum corpus mihi laevo* praetulerunt, minus illi quidem fide Cdd. freti quam verbis Ovidii A. A. III, 787. sq. *Mille modi veneris, simplex minimique laboris, quum iacet in dextrum semisupina latus.* Horatius autem modum veneris explendae, uti Ovidius, omnino non exposuit, sed de genere dixit feminarum hunc ad finem adhibendarum, alioquin enim situs quoque semisupinus memorandus fuisset. Quo non memorato quid tandem referat, utrum femina laevo mari corpus dextrum, an dextro mari corpus laevum supponat? Praeterea *dextro* —— *laevum* per se iam probabilius est quam *dextrum* —— *laevo*, quia librarii vocabula tum ad sequentia, tum ad antecedentia creberrime adaptabant. Tali modo exstitit Sat. I, 1, 115. *suis vincentibus.* I, 3, 57. *homo ille.* Ibid. 63. *saepe libenter.* Ibid. 85. *insuavis, acerbus.* I, 6, 111. *millibus atque aliis.* I, 8, 15. *quo modo.* I, 10, 35. *patriae patrisque Latini.* Ibid. 94. *vos, Bibuli.* II, 1, 49. *se iudice.* II, 2, 129. *propriae telluris.* II, 3, 129. *servosve tuos.* Ibid. 156. *Quanti emtae?* II, 6, 77. *inter vicinos.* II, 7, 18. sq. *constantior idem* —— *prior ille.* Ibid. 68. *metuens doctusque.* Ibid. 113. *fugitivus et erro.* II, 8, 40. *omnibus imis.* Similiter librarii interpolarunt Epist. II, 2, 199. *Pauperies immunda* domus *procul absit,* ubi *domo* ex voce *procul* suspensum revocari debet. Cfr. Sat. I, 4, 101. *quod vitium procul afore chartis.*

SAT. III.

V. 6. sqq. si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret io Bacche, modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.

Verbo *citare* poeta non sine delectu usus est. Cadit illud quidem proprie in praecones, ita ut cantor Tigellius

ob ovo usque ad mala *io Bacche* citans facete cum praecone collatus sit et *citaret* idem denotet quod *clamaret.* Nomen *Bacche,* pro quo nonnulli MSS. *Bacchae* habent, Horkelius anal. Hor. p. 141. bene defendit, sed secus idem vir doctus et adiici voluit, Horatium negans duas res inter se diversas ita in unam conflasse, quasi earum necessaria quaedam coniunctio esset, neque idem canticum saepissime iterari posset nulla eiusmodi transpositione adhibita. Neque nos sententiam improbamus bipartitam, sed asyndeton ad ipsos cantilenae modos imitandos maxime conveniens non suspectum habemus.

V. 19. sq. Quid tu?
Nullane habes vitia? Imo alia et fortasse minora.

Respondet poeta: *e contrario habeo vitia alia eaque fortasse minora.* Hoc tamen responso suam Tigellii reprehensionem neutiquam defensurus est, nam eam hoc tantum consilio praemisit, ut vulgus ad genus reprehensoris explorandum provocaret et provocatus ea, qua par esset, ratione vulgo respondere posset. Rogatus igitur, nullane habeat vitia, secus atque vulgus profitetur libere, se quoque vitia habere, sed alia eaque fortasse minora seu mediocria, ut ait Sat. I, 4, 130. et I, 6, 65. Quo modo vulgus suis quasi laqueis irretitum ad semet ipsum cognoscendum eoque simul ad leniora iudicia de aliis facienda inducitur. Quod ad quaestionem *quid tu?* attinet, praeter Epod. I, 5. et Epist. I, 1, 91. contendas Epist. I, 2, 10. sq. *Quid Paris? Ut salvus regnet vivatque beatus, cogi posse negat,* ubi verba *ut* —— *beatus* nequaquam Paridis, sed Horatii Paridem cavillantis sunt, vocula *ut* ergo ex verbo *negat* pendet neque ex *cogi,* ad quod posterius repetere debes *belli praecidere causam.*

V. 25. sqq. Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Licet vulgatum *mala* in plerisque Cdd. exstet, tamen quin v. l. *male* anteponenda sit, non dubito. Primum enim *tua mala* non tam de moribus quam de corpore (ut Sat. I, 2, 92.) intelligere licet. Tum vero verbum *pervideas* (i. e. *perquam videas)* contrapositum *male lippus* (i. e. *admodum*

lippus) requirit, quum vox *mala* prorsus otiosa videatur, ut perspicies ex Sat. II, 3, 324. *Teneas, Damasippe, tuis te.* Unde vehemens oritur suspicio, vulgatum *mala* nonnisi ex praepostera applicatione ad antecedens *tua* prognatum esse. Est autem *pervideas male lippus* nihil aliud quam *minime videas,* quemadmodum Sophocles dixit O. R. 1273. sq. *ἀλλ' ἐν σκότῳ τὸ λοιπὸν οὓς μὲν οὐκ ἔδει ὀψοίαθ', οὓς δ' ἔχρῃζεν οὐ γνωσοίατο.* Neque aliter Horatius Sat. I, 2, 91. sq. *Hypsaea caecior illa, quae mala sunt, spectes.* Cfr. Sat. I, 10, 5. sq. *qui multum puer et loris et funibus udis exoratus,* i. e. *vehementer verberatus.* II, 1, 54. sq. *mirum, ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos,* i. e. *minime mirum.* II, 2, 123. *Post hoc ludus erat culpa potare magistra,* i. e. *magistra potum culpante* sive *potu interdicto.* II, 6, 46. *quae rimosa bene deponuntur in aure.* Epist. I, 11, 28. *Strenua nos exercet inertia.* Carm. I, 6, 17. sq. *proelia virginum sectis in iuvenes unguibus acrium.* III, 7, 21. sq. *scopulis surdior Icari voces audit adhuc integer.*

V. 29. sqq. Iracundior est paullo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum. Rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit —

Ingenium paullo iracundius atque homo habitu rusticiore incedens ratione nulla cohaerent. Quamobrem valde falluntur, qui verba *rideri possit* etc. cum antegressis consociant atque pro apodosi habent, quae iam est *minus aptus acutis naribus horum hominum.* Verte: *ist Jemand ein wenig zu hitzig, so ist er für unsere Spürnasen nicht geeignet.*

V. 33. sq. at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore.

Incultum corpus Horatius secundum Graecos (v. Seidl. ad Eur. Tr. 206. et Lobeck. ad Phryn. p. 378. sq.) ipsum vocavit incultum, sicuti mortalem Carm. I, 35, 3. *mortale corpus,* quapropter ibi nihil innovandum. Cfr. Virg. Aen. VII, 650. ibiq. Burmann.

V. 38. sqq. Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum, vitia aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.

Recte Horkelius anal. Hor. p. 147. sq. *turpia vitia* non

amplius considere passus est, hisce potissimum argumentis commotus: turpibus vitiis a corpore ad animum translatis amicos etiam turpibus vitiis infectos tolerandos fore, quod nemo sanus praeceperit. Neque credibile esse, turpia amicarum vitia ita multis placuisse, ipsum enim polypum vix posse *turpe vitium* perhiberi, utpote quo nemine suspicante multi laborent. Recte vero verba illa singula se habere, quum ea, quae amantes aut fallant aut delectent, et *turpia* dici queant et *vitia*. Huic tamen argumentationi facile possit sic contradici: turpia amicarum vitia multis amatoribus grata poetam non censuisse, sed solum caecis. Tum non omnes polypos inter turpia vitia relatos esse, sed modo Hagnae polypum. Nihilominus *turpia vitia* hoc loco nequaquam nobis colligare licet. Nempe Horatium de simplicibus corporis mendis, nec de turpibus vitiis disputasse concinnitate declaratur sententiarum. Istis enim hominibus, qui quaecumque sibi ignoscentes acutissimis oculis *vitia amicorum* rimari consueverint, poeta opponit amatores, qui *mendis amicarum* caecutientes decipiantur, aut ipsis his mendis etiam delectentur. Quod idem errandi genus in amicitia iam receptum vult, sed eo hic nondum recepto nos saltem, uti pater *filii vitium* non fastidiat, sic *amici vitium* non fastidire, sed occulere debere statuit, amicum verbi causa parcius viventem vocantes frugi, ineptum et paullo iactantiorem dicentes concinnum amicis, truculentiorem atque liberiorem iudicantes simplicem fortemque, calidiorem inter acres numerantes. Quocum sermone turpia vitia plane non consentanea sunt. Iunxerunt *turpia vitia*, quos *turpia* (i. e. *deformitates, mala, menda)* et *vitia* synonyma esse latebat, immemores verborum modo lectorum Sat. I, 2, 85. *quaerit, quo turpia celet.*

V. 56. sqq. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo: illi
Tardo cognomen, pingui damus.

Haec est lectio vulgata. Membranae non multum variant, nisi quod plures *est* post *multum* et *pinguis* pro *pingui* exhibent atque vetustissimus Cd. Blandinius cum Valartiano fortasse ficto *ille* ex frequentissimo librariorum errore retulit. Critici autem maximas effecerunt turbas, necdum

locum, quem iam Bentleius scopulum interpretum omnium naufragiis infamem declaravit, recte enodatum putamus. Quum homini probo multumque demisso tardus pinguisque nullo pacto opponi possit, siquidem *probus multumque demissus* ad mores, *tardus pinguisque* ad ingenium spectat, probo multum demissus et tardo pinguis contrapositus est. Sane tam *probus* et *demissus* quam *tardus* et *pinguis* etiam componi possunt, at poeta dixit *multum demissus* (i. e. *humillimus)* et *cognomen pingui damus*, quod aliquanto plus valet quam *pinguis est.* Proinde verba Horatiana hanc in speciem distinguo: *probus quis nobiscum vivit: multum demissus homo. Illi tardo cognomen pingui damus*, i. e. *ein artiger Freund gilt für einen grossen Kriecher, ein bedächtiger Kopf heisst ein Schafskopf.*

V. 58. sqq. Hic fugit omnes
Insidias nullique malo latus obdit apertum,
Quum genus hoc inter vitae versetur —

Pro vulgato *versetur* antiquissimus MS. Blandinius *versemur* habuit, quod quidem speciosum, sed ex interpolatione ortum est. Minus apte enim Bentleius ad eam lectionem defendendam haec attulit: neque cautum hunc in peiore vitae genere quam alios versari, neque huic magis quam aliis insidias calumniasque vitandas, sed eiusmodi cautelam et prudentiam in omni vitae genere maxime probandam esse. Videlicet Horatius nec de cunctis disseruit hominibus, sed tantum de bene sanis ac non incautis; neque de insidiis calumniisque vitandis, sed de hominibus insidias calumniasque vitantibus. Idcirco verbum *versari* non poterat non ad pronomen *hic* applicari et *versetur* sincerum, contra *versemur* spurium existimandum est.

V. 63. sqq. Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone: molestus,
Communi sensu plane caret, inquimus.

Variam lectionem *simplicior si quis, qual.* ille protulit, qui indicativum hypotheticum ab unoquoque auctore frequentatum et Horatio usitatissimum esse ignorabat. Cfr. v. 29. sq. 49. sqq. 56. sqq. 84. 91. sq. Sat. I, 4, 34. II, 1, 52.

II, 3, 13. 164. sq. II, 5, 74. sq. 96. II, 6, 50. II, 7, 68. Carm. I, 27, 9. sq. 13. Epist. I, 1, 33. 36. 57. sq. 87. (89. Cic. Parad. VI, 1.) I, 6, 29. 56. II, 3, 25. 329. Magis autem corrupta sunt verba sqq. *qualem me saepe libenter obtulerim tibi, Maecenas*, ut primus demonstravit Horkelius anal. Hor. p. 37. sqq. Si poeta se Maecenati minus urbanum saepe obtulit libenter, cur usus sit coniunctivo *obtulerim* in re et multum et cum voluptate repetita ideoque mere historica? Dein si se Maecenati saepe simpliciorem exhibuisse fateri voluit, hoc potius a se inscio quam ex libito factum esse asseverare debebat. Nec tamen Horkelii coniecturam *licenter*, quam Vitebergensis ille Praedikowius, qui exquisita sua doctrina criticos indignos declarans pleraque Horatii a se adornati exemplaria combussit, iam praeoccupavit, equidem amplectar. Hac scilicet emendatione admissa poeta pristinos quosdam errores ipse reprobasse dicitur. At idem, si umquam adversus Maecenatem sese gessit licenter, certe primo familiaritatis tempore, quo haec Satira condita est, a quacumque licentia summopere cavit, nam haec consuetudo primis septem vel octo annis levior fuit (v. Sat. II, 6, 40. sqq.), ita ut poeta maxime officiosus ad Maecenatem contendere consueverit. V. Sat. II, 6, 30. sq. et II, 7, 32. sqq. Imo valde verecundus erga patronum nobilissimum tempore etiam posteriore erat, ut ex Epist. I, 1, 105. et I, 7, 13. elucet. Itaque *licenter* magnam quidem probabilitatem externam, nullam vero internam habet, praesertim vocabulo *saepe* accedente. Veri autem non dissimile videtur, librarios Maecenatis epitheton ad Horatium transtulisse, nempe ex *saepe* libenti futili suo more *saepe libenter* fabricantes. Certe *qualem me saepe libenti obtulerim tibi, Maecenas*, i. e. *ἀσμένῳ σοι*, quam maxime huc quadrat, quia hoc enuntiato vir quoque generosissimus a vulgo vitia amicorum exaggerante prorsus dissentiens laudatur.

Quae interpretes de verbo *impellat* disputarunt, maximam ea partem mirabilia sunt. Coniugari non posse sola verba, *forte legentem aut tacitum impellat* inde patescit, quod *legentem aut tacitum seu meditantem impellere* dumtaxat significat *legentem aut meditantem ad celeriorem lectionem aut meditationem incitare.* Iungenda igitur sunt *forte le-*

gentem aut tacitum impellat quovis sermone, i. e. *in quemvis sermonem*, ut verba *implicare, invitare, involvere, includere*, alia saepissime cum ablativo composita invenimus. Hinc simul elucet, adiectivum *molestus* ad insequentia necessario pertinere.

V. 69. sqq. Amicus dulcis, ut aequum est,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
Si volet, hac lege in trutina ponetur eadem.

Minus constructio verborum *amicus dulcis*, *cum, ut aequum est, compenset mea bona vitiis* quam ipsa sententia, quae ex hypallage *mea compenset vitiis bona* provenit, *vitia resarciat meis bonis*, quum a tali dicto sequens *pluribus hisce* —— *inclinet* vehementer abludat, me movet, ut *cum* pro praepositione ducam, cuius locus minus usitatus viros doctos decepisse videtur, quare haec apponamus exempla similia: Sat. I, 5, 37. *In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus*. Ibid. 51. *quae super est Caudi cauponas*. I, 6, 114. sq. *me ad porri et ciceris refero laganique catinum*. I, 10, 99. (Carm. III, 3, 37. III, 15, 5. III, 27, 51. sq. Epod. XVI, 41.) *discipularum inter iubeo plorare cathedras*. II, 6, 34. *per caput et circa saliunt latus*. Epist. I, 2, 6. *Paridis propter narratur amorem*. Ov. Pont. I, 5, 39. *Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis*. Met. II, 80. *per tamen adversi gradieris cornua tauri*.

Post *inclinet* tum comma, tum colon, tum punctum ponitur. Attamen *amari si volet* cum praecedente *amicus dulcis* nec arctius nec laxius copulari potest, ut placuit interpretibus. An *amicum dulcem* etiam odio persequi licet? Novam equidem hanc statuo enuntiationem: *amari si quis volet*, quemadmodum legimus v. 51. sqq. *At est truculentior atque plus aequo liber: simplex fortisque habeatur. Caldior est: acres inter numeretur*. Sat. II, 3, 164. *Non est periurus neque sordidus: immolet aequis hic porcum laribus. Verum ambitiosus et audax: naviget Anticyram*. Cfr. Mart. III, 4, 1. 3. 5. 7. et notata ad Sat. I, 2, 107.

V. 84. sqq. Paullum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus:
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris,

Qui nisi, quum tristes misero venere calendae,
Mercedem aut nummos undeunde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.

Adiectivum *acerbus* critici partim ad verba superiora, partim ad inferiora applicant. Utrum sit rectius, de eo non disceptandum, quia *acerbus* omnino non recto stat talo. Tota enim comparatio *paullum delinquentem amicum odisti et fugis* (vel *acerbus odisti et fugis*, quod aliquanto etiam peius est), *ut Rusonem debitor aeris, qui calendis mercede aut nummis non extricatis amaras historias porrecto iugulo ut captivus audit* egregie vacillat et claudicat, quoniam ne minimam quidem similitudinem, quae inter paullum delinquentem amicum et Rusonem, acerbum istum feneratorem et recitatorem, intercesserit, indicatam cernimus. Sine dubio autem tertium comparationis, ut aiunt, acerbitas fuit paullum delinquentis amici ficta, Rusonis vera. Qua de causa hic locus ita emendandus est: acerbum *odisti et fugis*, quod iam Reisigio scripturae vulgatae praestare videbatur. Post *insuavis* nominativus *acerbus* pro accusativo facillime sufficiebatur. V. ad Sat. I, 2, 125.

V. 120. sq. Nam ut ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor ——

Recte *ut* pro *ne* hic positum esse cunctis supplementis tam rudioribus, qualia sunt Lambini, Clarkii (ad Caes. B. G. V, 47.), Heindorfii, aliorum, quam subtilioribus, quo Reisigii *illud* pertinet, cui facilius etiam *ita* (v. ad Sat. I, 6, 31.) adiicere possis, non evinces. Nam si vel unum horum adminiculorum Latinum fuisset, post verba timendi *ut* pro *ne* millies reperiri deberet. Quo enim in loco post illa verba aut *illud* aut *ita* non potuerit cogitatione suggeri? Apage igitur ista adminicula nihil non persanantia. Horatius, credo, hoc loco non magis *ut* pro *ne* usurpavit quam Sat. I, 2, 127. et Epist. I, 16, 19., sed aut *non vereor* omnino non cum antecedentibus coniunxit, praemissa nimirum hac quaestione: *nam ut ferula caedas meritum maiora subire verbera?* aut verbo *vereor* non usus est. Quo tamen usus sit, non ausim equidem affirmare. Fortasse dedit: *nam ut ferula caedas meritum maiora subire verbera, non* remoror. Similiter ait Sat. I, 4, 12. sq. *garrulus atque piger scribendi ferre laborem, scribendi recte: nam ut multum, nil moror.*

SAT. IV.

V. 3. sqq. Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus ——

Plerique Cdd. *ac fur*, quod nonnulli vv. dd. designare volunt *ac proinde fur* vel *et propterea quidem*, quae contorta sententia mihi non placet. Quocirca *aut* genuinum arbitror, nec vero *malus fur* seiungo, sed aeque consocio ac Sat. I, 1, 77. *malos fures*. Cfr. Sat. I, 6, 68. II, 1, 56. II, 3, 43. 135. II, 6, 18. Epist. I, 10, 25. Carm. I, 3, 28. I, 13. 18. Postpositum *aut* videtur et librarios et criticos fefellisse. Sed non ita raro reperitur. V. Sat. I, 3, 39. Carm. I, 21, 7. Epod. I, 34.

V. 11. Quum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles ——

Quemadmodum Romani hunc locum intellexerint, tam ex eo patet, quod poeta ab amicis Lucilii vehementius reprehensus iudicium suum Sat. I, 10, 58. sqq. defendere studuit, quam ex clarissimis verbis Quintiliani Inst. Or. X, 1, 94. *Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat.* Imo ipse Horatius Sat. I, 10, 59. tollenda aperte opposuit relinquendis, ut hic de laude quadam Lucilii nemo sobrius cogitare possit. Verbum *tollere* i. q. *litura tollere*, sicut Cic. Att. XIII, 23. *librariorum menda tolluntur.*

V. 12. sqq. Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat ——

Pro *minimo* N. Heinsius mimo, Bentleius nummo, Horkelius numero substituendum suasit. Licet Bentleius invento suo subiecerit, aut se valde falli, aut qui vel minimum iudicii habeat, veram Horatii manum in coniectura *nummo* agniturum esse, tamen omnes correctiones prorsus supervacaneas iudicare non vereor. Mirae sane sunt interpretationes vocis *minimo*, sc. *digito* vel *pretio*, propter haec autem ludicra nondum quidquam immutandum, sed seria potius explicatio investiganda est, quae nobis promtissima videtur. Postquam enim Horatius se nihil morari professus est, ut *multum* scribatur, statim eum Crispinus dicitur *mi-*

nimo provocasse, quod est perspicue *ad minimum scribendum.* Itaque *minimo* dativus est poetis ille usitatissimus, velut Carm. I, 28, 9. sqq. (Sat. II, 5, 49.) *Iovis arcanis Minos admissus* —— *iterum orco demissum.* I, 35, 3. sq. (Sat. II, 8, 39.) *superbos vertere funeribus triumphos.* III, 23, 1. *Coelo supinas si tuleris manus.* IV, 4, 65. (Sat. II, 4, 19. Epist. I, 1, 16.) *Merses profundo.* IV, 11, 13. sq. *quibus advoceris gaudiis.* Cfr. Hom. Il. VII, 285. *χάρμῃ προκαλέσσατο πάντας ἀρίστους.*

V. 14. sqq. **Accipe, si vis,**
Accipiam tabulas. Detur nobis locus, hora,
Custodes: videamus, uter plus scribere possit.

Varia lectio *accipe iam* minus ob antegressum *si vis,* quidni enim construamus *accipe, accipe iam tabulas, si vis?* quam ob tempus certaminis adhuc definiendum ac propterea, quod etiam Crispinum ad certamen provocantem tabulas accipere necesse est, ut vidit iam Gesnerus, reiici debet. Si poeta *accipe tu* et *accipiam ego* exhibuisset, critici, opinor, nihil novassent. Pronomina vero substantiva in dialogo frequenter omittuntur, e. gr. Sat. I, 6, 60. sqq. *Respondes, ut tuus est mos, pauca: abeo et revocas nono post mense iubesque esse in amicorum numero.* I, 9, 15. sq. *sed nil agis, usque tenebo, persequar.* II, 3, 264. *Exclusit, revocat: redeam? Non, si obsecret.* Cfr. ad Sat. I, 9, 45. et II, 3, 212. Ceterum *detur* notissimus est coniunctivus hypotheticus, uti Sat. I, 1, 45. (89.) *triverit.* I, 3, 15. *dedisses.* I, 9, 54. *velis.* II, 3, 292. *levarit.* II, 6, 39. *dixeris.* Carm. I, 11, 6. *sapias.* IV, 4, 65. sq. *merses* —— *luctere.* Epist. I, 1, 28. *possis.* I, 6, 31. *putes.* I, 16, 54. *sit.* II, 3, 439. *negares.*

V. 17. sq. **Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli**
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.

Perperam Lambinus secundum Sat. I, 6, 56. *singultim pauca loquutus* nostro loco *loquentem* intulit, nam hoc fere est candida de nigris et de candentibus atra facere. Nihilominus eum etiam Bentleius assectabatur. Poeta autem verba *inopis pusillique animi* illustraturus necessario subiecit *raro et perpauca loquentis,* etenim si *raro et perpauca loquentem* addidisset, hoc additamentum, ut accidit Lambino et Bentleio, perfacile de eo in universum raro et perpauca

sermocinante intelligi potuisset, quum hic nonnisi de facultate eius poetica agatur, quamobrem neque Sat. I, 2, 68. sq. *Huic si mutonis verbis mala tanta videntis diceret haec animus* ad *loquentis* defendendum advocare licet. Denotat *loquentis* i. q. *canentis* et *animi* i. q. *spiritus* (sicuti Epist. II, 3, 27.), ita ut Horatius perinde hoc loco atque alibi (v. c. Carm. II, 16, 38.) se tenui solum spiritu gaudere fateatur. Cui spiritus sui tenuitati facete opponit: *At tu conclusas hircinis follibus auras, usque laborantes, dum ferrum molliat ignis, ut mavis, imitare.*

V. 21. sqq. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, quum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis ——

Haec verba nondum recte enarrata invenio. Quum poeta neque delatorem quemdam capsarum imaginisque Fannii, nec in quem locum istae res delatae sint, nobis prodiderit, et delatorem et locum male seduli interpretes suo ex ingenio suggerebant, partim ii quidem adulantes heredipetas cum bibliothecis publicis vel sola ab Asinio Pollione condita vel bibliotheca Augusti, partim populum vel senatum Romanum cum domo Fannii, partim alia mirabilia comminiscentes. Dilucide vero Fannii conditioni Horatiana traditur contraria esse, Fannio quidem capsas et imaginem ultro deferente, Horatio sua scripta nondum foras dante, nec vulgo recitante. Unde facile dispicitur, illud *ultro deferre* dumtaxat indicare *nullo pretio vendere*, *umsonst verkaufen*, ut Epist. I, 12, 22. sq. *si quid petet, ultro defer*. Verba autem *quum mea nemo scripta legat* non significant *quum mea nemo scripta legere velit*, sed *quum mea nemo scripta legere possit*, utpote quae adhuc inedita essent. V. v. 71.

V. 24. sqq. Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media eripe turba:
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.

Non est, puto, cur *plures* attentes. Quo modo Horatius *erat, quod* de v. 11. per *plura* reddidit Sat. I, 10, 59., eodem hic *sunt, quos* per *plures* explicuit. Cui explicationi non obstat Sat. II, 1, 23. *quum sibi quisque timet*, nam quod sibi quisque timebat, inde non consequitur, quemque etiam

Horatio suspectum fuisse. Cfr. infr. v. 64. sqq. Nec vocabulo *plures* adversantur verba insequentia *quemvis media eripe turba*, quippe haec ad mediam modo turbam neque ad cunctos spectant Romanos. Nimirum *media turba* non est *medium turbae*, sed *medium* seu *infimum vulgus*, *Hans in allen Gassen*, *Hans Hagel*, sicut apud Ov. Met. VII, 431. sq. *Agitant convivia patres et medium vulgus.* Cfr. Tr. I, 1, 88. II, 351. Fast. V, 20. Hor. Carm. III, 27, 27.

In v. 25. variarum lectionum *elige*, *erue*, *eripe* postrema nobis propter *quemvis* praestantissima videtur, quoniam primum quemque, *den ersten den besten*, neque eligimus nec eruimus.

In v. 26. variae lectiones *ab avaritia* et *miser* leves sunt prae ipsa verborum sententia, quae quidem talis est, ut quivis de media turba aut avaritia aut ambitione laborare censeatur, quod enuntiatum duo tantum vitia mediae turbae constituens quam sit perversum, et per se iam lucet et ex v. 27. *Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum* clarissime apparet, quia hos amores nemo aut ad avaritiam aut ad ambitionem retorquere conabitur. Videtur igitur versiculum 26. versificator quidam Romanus compegisse, qui quam eruditus fuerit, ipsa etiam prava dictio *ob avaritiam laborat* nobis prodit, namque *ab avaritia*, quod solae membranae Marcilii tueri feruntur, haud dubie ex posteriore demum correctione exstitit, unde unus Feae Cd. adeo *ab avaritiam* habet.

V. 33. Omnes his metuunt versus, odere poetas.

Cuius generis et versus et poetae intelligendi sint, interpretes valde ambigunt. Heindorfio dictum videbatur: *allen diesen ist bange, wo sie Verse hören, wo sie nur irgend einen Dichter sehen, in jedem ihren Feind fürchtend.* Ergo homines de media turba et omnes formidabant versus et omnes oderant poetas. Ecquis autem versus poetasque sese non attingentes metuat et oderit? Necnisi de genere satirico sermo est, Horatio solum causas expromente, cur sua scripta nondum ediderit, nec vulgo recitaverit. Versus itaque et poetae sunt satirici et Horatius suos dumtaxat versus seque poetam indigetat. Quare *omnes hi metuunt versus,*

odere poetas i. q. *omnes hi metuentes, ne versus in se scribantur, poetam oderunt,* sive *omnes hi sibi timentes me oderunt.* Cfr. Sat. II, 1, 23. *sibi quisque timet* —— *et odit.* Numero autem plurali *poetas* Horatius non sine invidiae notatione usus est, ut Tereum *reges* vocavit Carm. IV, 12, 8. et alitem parvam *obscenas volucres* dixit Virgilius Aen. XII, 876. Sequens igitur numerus singularis (*habet* etc.), quo Bentleius vehementer offensus, etsi tritissimum transitum a numero plurali ad singularem iam Sat. I, 2, 80. et I, 3, 29. invenerat, *poetam* suo ex penu invexit, ne minimam quidem offensionem habet. Compara Ov. Fast. II, 789. sqq. *parat inscia rerum infelix epulas hostibus illa suis. Functus erat dapibus,* sc. *hostis,* quasi *hosti suo* antecessisset, ut v. 787.

V. 34. sq. Foenum habet in cornu: longe fuge. Dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico —

Qui v. 82. sq. *solutos qui captat risus hominum famamque dicacis* cum loco nostro leviter contulerit, illi sane Rutgersii coniectura *tibi* blandiri possit, sed eam falsam esse inde patescit, quod pronomine *tibi* illato fuga ei praecipitur, cui risus excutiatur, nec cui impetus immineat: Deinde in sententia *dummodo tibi risum excutiat, non cuiquam parcet amico* pronomen *tibi* et nomen *amico* praepostere sibi opposita sunt, quamobrem etiam lectionis vulgatae interpretatio *dummodo dictis suis mordacibus lectores vehementer ridere cogat,* quam Orellius proposuit, comprobari nequit. Rectius certe alii explicant: *dummodo semet ipsum ad ridendum cogat.* Est tamen *dummodo risum excutiat sibi* nihil nisi *dummodo sibi satiram excutiat.*

V. 45. sq. Idcirco quidam, comoedia necne poema
Esset, quaesivere ——

Heindorfius: „*comoedia necne poema* für *comoedia poemane necne.*“ Quasi hoc genus pervagatum minimeque ignotum sit. Orellius contendit v. 63. *alias iustum sit necne poema* et Cic. Mur. 11. *posset agi lege necne, pauci quondam sciebant.* At quid his locis cum nostro intercedat similitudinis? Nihil hic antegreditur, quod vocabulo *necne* alternetur, quocirca id aut audacius transpositum reique alternandae adeo praemissum, aut subditicium existimari

debet. Fortasse *necne* ex v. 63. huc tralatum est et numne genuinum, ut iam Reisigius suspicatus est.

V. 46. sqq. quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus.

H. e. *sed sermo merus est, nisi quod metro a sermone differt*, sicuti scripsit Cic. Orat. 20. *apud quos* (comicos poetas), *nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* Post sententiam negativam *sed* saepissime non sine gravitate praetermittitur. Sic Sat. I, 9, 56. sqq. *Haud mihi deero, muneribus servos corrumpam; non, hodie si exclusus fuero, desistam, tempora quaeram, occurram in triviis, deducam.* Epist. II, 3, 99. sq. *Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto et quocumque volent animum auditoris agunto.* Ibid. 297. sq. *bona pars non ungues ponere curat, non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.* Hoc parum attendentes nonnulli vv. dd. commate post *sermoni* sublato eruebant: *nisi quod a sermone pede certo hic sermo merus differt.* Verum *nisi*, quum ad antecedentia nullo pacto applicari queat, necessario ad *sermo merus* spectat. Neque *pede certo differt sermoni sermo merus* nobis omnino componere licet, quod ille non est sermo merus, qui metro a sermone discrepat.

V. 48. sqq. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset ——

Horkelius anal. Hor. p. 122. sq. *nefas* pro *nepos* suffici voluit, quod *nepos* inter nomina *pater* et *filius* ad filii filium referri ac narratio exspectari possit, quibus conviciis filius propter pravam sui filii educationem a patre exceptus sit. Praeterea eidem viro doctissimo parum credibile visum est, eum patrem, qui magnum dedecus esse clamitaverit, quod filius ebrius ante noctem cum facibus ambularet, de longe maiore filii facinore, quod meretricis amorem legitimis nuptiis anteponebat, non graviorem in modum in perditos hominis mores invectum esse. Primum autem argumentum levius est atque eodem adductus quispiam etiam nomen *pater* sollicitare possit. Alterum quidem magis ponderosum neque tamen eiusmodi est, ut *nepos* cum *nefas*

mutem. Etenim pater ardens non fertur saevire, quod filius meretricis amorem legitimis nuptiis praeferat, sed quod prodigus uxorem grandi cum dote meretrici postponat. Recusatio vero uxoris grandi cum dote et amor meretricis cum profusione bonorum sine dubio optima sunt contraposita, quare *nepos* exterminari nequit.

V. 69. sq. Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?

Pauci MSS. *sum*, quod praeter alios Orellius unice rectum iudicabat, quum poeta se talem non esse pro certo utique sciret. Verum in rebus etiam certissimis urbaniore quadam ratione coniunctivus saepissime usurpatur. Cfr. v. 71. *Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.* Sat. I, 6, 52. sq. *felicem dicere non hoc me possim.* II, 1, 13. sqq. *neque enim quivis horrentia pilis agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos, aut labentis equo describat vulnera Parthi.*

V. 86. sq. Saepe tribus lectis videas coenare quaternos,
E quibus unus avet quavis adspergere cunctos ———

Scriptura *imus* pro *unus* ex mero exstitit librariorum lapsu. Qui enim *imus* ad *cunctos* quadret, pro quo *summos* exspectabas? Quis insuper est iste imus, quandoquidem omnes imi lecti convivae erant imi? Fea auctore *imus* est *omnium infimus et abiectus.* Sed quem confert locum (Epist. II, 3, 32.), is aeque ac noster corruptus est, ut de eo reticeam, numeris *tribus* et *quaternos* antegressis vocabulum *imus* vix alio quam ad numerum revocari posse. Neque pluris equidem faciam praeclarissimi Cd. Blandinii scripturam *amet* pro *avet.* Ad *quavis* enim aptius est *avet* quam *amet*, neque de consuetudine, sed de studio sermo est, ut Sat. II, 1, 24. sqq. Atqui ille, inquit, qui avet adspergere, nondum reapse adspergit, quod hoc loco requiritur. Verumtamen qui *quavis* adspergere avet, is etiam adspergit et qua potest ratione pergit adspergere.

V. 89. Condita quum verax aperit praecordia Liber.

Aliquot Lb. MSS. *candida*, quod vulgato *condita* Reisigius ad Soph. O. C. 1227. p. 350. anteponi voluit. Ipse sane Liber Carm. I, 18, 11. *candidus* nuncupatur et *candida praecordia aperire* apposite dicitur (v. ad. Sat. II, 2, 55.), nec *condita praecordia* interpretari licet *condita in praecor-*

diis seu *condita praecordiorum.* Nihilosecius vulgatum *condita* non explodendum putamus. Non posse aperiri nisi quod clausum sit, valde manifestum est, quam ob causam *condita praecordia* necessario sunt *clausa praecordia.* Pari modo oculi, lumina, alia condi dicuntur. V. Ov. Tr. III, 3, 44. A. A. III, 742. Her. X, 120.

V. 108. Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset —

Notatu dignum duxit Bentleius, Cd. Leidensem eximiae vetustatis *parassem* habere, id autem falsum esse non adiecit. Puer enim Horatius, de quo disseritur, nihildum sibi poterat ipse parare, quapropter parata res patria intelligi debet, ut etiam v. 110. declarat. Monui, quia Mavortianis illis membranis passim plane insignem auctoritatem tribui video, qua cunctorum Horatii codicum manuscriptorum nullum dignum esse in praefatione demonstravimus.

V. 109. sqq. Nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
Barrus inops? Magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit.

Male vivere et *inopem esse* non unum idemque significant. Ille quidem, qui male vivit Albii filius, nondum inops est, sed adhuc discinctus nepos. Barrus contra discinctus nepos fuit et iam est inops. Ergo duo habemus prodigentiae exempla, quorum altero initium, altero finis proponitur, quam tamen ob disiunctionem aeque duo et amoris meretricii et adulterii exempla proferri minime necesse est. Nec sequens numerus singularis *magnum documentum* nobis displicet, utpote qui ad exemplum utrumque pertineat. Cfr. v. 67. *magnus uterque timor latronibus.* Sat. I, 7, 20. sq. *In ius acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.* Quocirca nihil novandum reor, nam quia unus Cd. *ut qui* ex corruptione non ita rara exhibet atque nomen *Barrus* in Lb. MSS. egregie variatur, quod in plerisque reperimus nominibus propriis (v. Sat. I, 1, 95. et Bentl. ad Sat. I, 7, 20.), hinc profecto iusta diffingendi causa repeti nequit.

V. 115. sq. Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi —

Lambinus: *a philosopho* —— *disces, quid sit expetendum, quid fugiendum et quamobrem hoc sit fugiendum, illud expetendum.* Heindorfius: „In Prosa cur quidque vitare aut

petere melius sit, caussas tibi reddet.“ Alter ab Horatii verbis multum recessit, alter adeo *cur* et *aut* ultro intulit. Reisigius variam lectionem *quodque* amplexus est, unde haec sententia provenit: *sapiens tibi reddet causas* eius, *quod vitatu petituque melius sit.* Nobis cardo rei in causis reddendis verti videtur, *cur* hoc vitare, illud appetere praestet. Malim igitur vulgatum *quidque* servare et cum *sapiens* iungere, verba hanc in speciem expediens: *qui sapit, quid vitatu petituque sit melius, is tibi causas reddet,* sc. *cur hoc vitatu, illud petitu melius sit.* Pater enim Horatii se ethicam negat edoctum esse, satis sibi esse professus, si consuetudinem ab maioribus traditam sequi et filii vitam famamque incolumem tueri possit. Item *que* transpositum est v. 17. et alibi saepissime, velut Sat. I, 6, 43. sq. I, 10, 98. II, 3, 130. 157. 182. II, 7, 68. Carm. I, 5, 6. I, 30, 6. II, 17, 16. II, 19, 28. 32. III, 1, 12. III, 4, 11. III, 5, 7. Carm. Saec. 22. Epist. I, 1, 17. I, 3, 15. I, 17, 57.

V. 137. sqq. Haec ego mecum
Compressis agito labris, ubi quid datur oti,
Illudo chartis.

Schol. *perdo chartas scribendo,* sequutus fortasse Epist. II, 1, 112. sq., ubi tamen poeticae solum exercitationes intelligendae sunt, de quibus hic non agitur. Poematis autem condendis Horatius utpote raro tantum et perpauca canens chartas minime perdidit. Neque collaudaverim, quae alii interpretes repererunt, *ego has meas cogitationes mando litteris et scribo satiras ludibundus,* aut *ludibundus chartis illino,* aut *quasi ludens coniicio in chartas.* Asyndeton, ut videtur, viros doctos maxime fefellit, sicut Sat. II, 2, 85. et alibi. Plena enim oratio haec est: *haec ego mecum compressis agito labris* et *ubi quid datur oti, illudo chartis* (h. e. *rideo poematibus),* ita ut *haec* etiam ad verbum *illudo* pertineat. Declarat ergo poeta suum satiras componendi studium similiter ac Sat. II, 1, 28. sq. *me pedibus delectat claudere verba Lucili ritu.*

V. 140. sqq. cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi —

Ut verba *nolis* —— *veniet* —— *cogemus* eodem modo efferantur, Bentleius ex consuetudine sua omnia exaequaturus (v. eius dictata ad v. 73. et ad Sat. I, 8, 41. II, 1, 20. et Epist. II, 1, 31., ubi Bentleianum *intra est olea*, i. e. *intra est in olea*, falsum nec magis Latinum est quam v. c. *extra est ex olea*) *noles* supposuit, discrimine modorum non intellecto. Formula *si nolis, wenn du etwa nicht willst*, festive animus statuitur propensus; contra dictione *si noles, wenn du wirklich nicht willst*, simplex ponitur conditio, ut Epist. I, 2, 34. et I, 7, 25. Prius lepidae comminationi multo magis quam alterum respondet, quare *nolis* indicativo *noles* longe praestat.

SAT. V.

V. 1. sq. Egressum magna me **excepit** Aricia Roma
Hospitio modico —

Variam lectionem *accepit* Orellius vulgata *excepit* deteriorem iudicabat, nullis tamen argumentis expromtis. Per se vero utrumque verbum probum est, ut patet ex Cic. Att. II, 16. extr. *hospitio agresti accipiemus*. Ov. Her. XVI, 127. *Excipit hospitio vir me tuus*. Virg. Aen. III, 353. *Illos porticibus rex accipiebat in amplis*. Hor. Sat. I, 4, 133. sq. *lectulus aut me porticus excepit*. Sen. Epist. 21. *te polenta excipiet et aquam quoque large administrabit et dicet, ecquid bene acceptus es?* Ov. Fast. II, 725. sq. *Tarquinius iuvenis socios dapibusque meroque accipit*. Verumtamen quum *excepit* longe facilius pro *accepit* quam *accepit* pro *excepit* a scribis substitui posset, quia *accepit* non tam notum erat quam *excepit*, nos *accepit* hic aeque sincerum arbitramur atque Sat. II, 6, 80. sq. *rusticus urbanum murem mus paupere fertur accepisse cavo*. II, 8, 67. *ut ego accipiar laute*. Ob sonum autem gratiorem *me accepit* non praeferam. V. Sat. II, 7, 49.

V. 2. sq. rhetor comes Heliodorus,
Graecorum **longe** doctissimus ——

Unde v. l. *linguae* in plurimos Cdd. pervenerit, hoc sane minus apertum est quam quomodo *longe* nasci potuerit. Quando enim vel recentiores philologi opinantur, quum

Heliodorus natione Graecus esset, laudem videri ridiculam aut nullam aut perexiguam, si linguae Graecae maximam scientiam habere diceretur, neutiquam nobis mirari licet, quod veteres grammatici eadem opinione inducti *longe* pro *linguae* infarciebant. Horatius autem linguae suae cognitionem rem haud ita levem censebat, ut ex Epist. II, 2, 109. sqq. II, 3, 45. sqq. et aliunde perspicitur. Imo linguam inter praestantissima bona retulit Epist. I, 4, 8. sq. *Quid voveat dulci nutricula maius alumno, qui sapere et fari possit quae sentiat* ——? Itaque *linguae doctissimus*, i. e. λογιώτατος, mihi non minus probatur quam illud de Maecenate dictum Carm. III, 8, 5. *docte sermones utriusque linguae*. Item M. Terentius Varro a Quintiliano Inst. Or. X, 1, 95. peritissimus linguae Latinae perhibetur. Ceterum genitivus *linguae*, pro quo quispiam accusativum expetat, pariter probus est atque aliorum verborum constructio ab Horatio variata.

V. 3. sq. Inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Malignis non solum ad *cauponibus*, verum etiam ad *nautis* spectat. Cfr. Sat. I, 6, 64. 88. II, 2, 109. II, 3, 184. II, 4, 85. II, 6, 116. sq. Scilicet *malignus* suo quisque genere parcior, contra *benignus* suo quisque genere largior est. Nauta igitur malignus est piger, sicut Carm. I, 28, 23. sqq. *At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae ossibus et capiti inhumato particulam dare.* De qua pigritia videsis Mart. III, 25.

V. 5. sq. Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.

Recte Fea alteram Cdd. lectionem *nimis* vulgatae *minus* anteposuit. Cur, obsecro, ipsa via Appia tardis minus gravis fuerit? Nonne tardius incedentibus quaelibet quoque alia via minus gravis est? Cur porro tardi viatores, si iis via Appia minus esset gravis, iter diviserint? Nonne strenuos potius id dirimere oportebat, quos via Appia magis gravaret? Tardi vero viatores iter diviserunt eamque divisionem utique praetulerunt, non quod *minus*, sed quod *nimis* gravis ipsis via Appia erat. Atqui passim quaeritur,

cur tandem poeta graviorem viam Appiam omnino institerit. Causam sane huius rei ignoramus, nec vero volumus expiscari, quum certo scire nobis satis sit, Horatium in itinere unius diei revera biduum consumsisse. Aliquanto autem etiam levius est, quod nonnulli vv. dd. anquirunt, cur Horatius iter diviserit neque incesserit celerius. Ignavia, inquam, in causa erat, ut dilucide relatum est. Quod denique *minus* etiam in scholiis exstat, hoc munimentum nullum est, nam in iisdem praeter multas alias lectiones corruptas reperimus etiam Sat. I, 6, 126. *fugio rabiosi tempora signi.* Eadem ceterum medicina correxerim Epod. VIII, 17. sq. *Illiterati num* nimis *nervi rigent?* Nimisve *languet fascinum?*

V. 12. sq. Huc appelle. Trecentos inseris: ohe
Iam satis est.

Haec verba inter nautas, dominos ac servos modis quam maxime variis distribuuntur, quos recensere longum est. Iam Lambinus recte admonuit, naviculam hic a nemine conductam fuisse, sed nautam singulos viatores recepisse et a singulis exegisse pretium, unde *dum aes exigitur, dum mula ligatur, tota abit hora.* Idcirco ob pactum quoddam violatum neque nauta dominum neque dominus aut servus nautam increpare poterat. Imo etiam non liquet, unde dominum aut servum, qui aut nautam increpent aut increpentur a nauta, omnino depromas. Quapropter nos verba *huc appelle* non domino aut servo cuidam, sed toti viatorum turbae prope canalem navigium propter noctem iam ingruentem enixius captanti tribuimus. Iam cuius sint verba *trecentos inseris: ohe iam satis est* nisi nautae turbam viatorum naviculam copiosius obsidentem increpantis?

V. 14. sqq. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos, absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim. Tandem fessus dormire viator
Incipit ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.

Vulgo omissum *ut* Bentleius ex membranis recte restituit, consocians is quidem: *absentem ut cantat amicam multa prolutus vappa nauta atque viator certatim, tandem fessus dormire viator incipit*, h. e. *ut* sive *dum cantat nauta et*

viator amicas, tandem viator somno opprimitur. Alii critici enuntiatum *absentem ut cantat* —— *certatim* ad verba superiora applicari maluerunt, *ut* perinde pro *dum* positum rati. At cui, rogas, culices ranaeque somnum averterint? Non soli haud dubie Horatio, sed viatoribus cunctis. Viatori autem cum nauta amicam cantanti neque obdormiscenti somnus dispelli non poterat, quam ob causam vocula *ut* hoc loco neque *dum* valere nec abiici potest, quoniam asyndeto admisso viator una et cantasse et a culicibus ranisque somno privatus esse fertur. Sed si viator eodem tempore, quo ei a culicibus ranisque somnus avertebatur, cantasse nequit neque dictus est posthac cantasse, necessario prius cantavit quam ei culices ranaeque somnum dispellerent. Ergo *ut* non *dum*, sed *postquam* significat et poeta hoc retulit: *postquam nauta atque viator* —— *absentem amicam certatim cantavit, culices ranaeque somnos avertunt. Tandem fessus viator incipit dormire atque nauta piger, retinaculis mulae pastum missae saxo religatis, stertit supinus.* Tempore praesenti post *ut* usus est, sicut post *postquam* Sat. I, 7, 9. sq. Ceterum *viator* est *vector, Passagier,* neque mulae moderator, ut satis apparet ex verbis *tandem fessus dormire viator incipit ac missae pastum retinacula mulae nauta piger saxo religat stertitque supinus,* quae ad unum eumdemque hominem nequaquam referre possumus. Primum enim illud *tandem dormire incipit,* i. e. *quem dudum dormire oportebat,* a mulae moderatore vehementer abhorret, nam eum dormire plane non oportebat. Dein *nauta piger* prorsus abundaret, si viator fuisset mulae moderator. Tum mulae pastum missae retinacula ille profecto non poterat saxo religare, qui iam dormire inceperat.

V. 27. sq. **Huc venturus erat Maecenas optimus atque Cocceius** ——

Bentleio praeeunte *optimus* passim ad Cocceium transfertur, ut *atque* pariter postpositum sit ac supra v. 4. Sat. I, 6, 111, 131. I, 7, 12. I, 10, 36. Epod. XVII, 4. Carm. I, 25, 18., quem locum ita expedias: *quod laeta pubes virenti hedera atque pulla myrto magis gaudeat,* sc. *quam te decrepita.* Nempe *optimus* viris doctis compellatio videtur paullo familiarior quam ut Maecenati, regi Horatii et patrono,

decenter tribui queat. Quamvis huic placito non opposuerim, poetam dixisse *candide Maecenas* Epod. XIV, 5., *care Maecenas* Carm. I, 20, 5. (ubi quae annotavit Bentleius hic non recordatus est), *dilecte Maecenas* Carm. II, 20, 7., *Maecenas meus* Carm. IV, 11, 19., *dulcis amice* Epist. I, 7, 12., quoniam cuncta haec testimonia posterioris sunt aetatis quam noster sermo: tantam tamen Horatii et Maecenatis familiaritatem iam hoc tempore, i. e. ineunte anno DCCXVII u. c. (v. dissert. nostr. de aetate poematum Horatianorum a R. Bentleio inventa p. 12. sq.), exstitisse arbitror, ut ille hunc decore optimum praedicare posset. Quin etiam me non male haberet, si adeo Augustus Sat. I, 10, 90. *optimus* esset vocatus, siquidem is secundum Suetonium vit. Hor. lectis Satiris ad Horatium haec scripsit: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?*

V. 51. sqq. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores et quo patre natus uterque
Contulerit lites.

Minus recte Orellius: „Ut Horatium carpebant malevoli, quod *libertino patre natus* esset, sic ipse, sed longe minus malitiose, horum scurrarum stirpem ridet, simulans se, antequam eorum certamen narraret, tamquam heroum illustrem *prosapiam* expositurum.“ Ridet potius vulgi consuetudinem curiosius percontandi, *quis homo hic, est quo patre natus?* ut ait Sat. I, 6, 29. Item *conferre lites* festive composuit eum in modum, quo *manus* et *signa conferri* dicuntur.

V. 58. sqq. O, tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, quum
Sic mutilus miniteris?

Pro *miniteris* bona pars Lb. MSS. *minitaris* habet. Utrumque modum probavit Bentleius, alii solum vel coniunctivum vel indicativum. Nobis *miniteris* unice aptum videtur, quia *quum* non tam temporale quam causale est. Cfr. Sat. I, 1, 86. sq. *Miraris, quum tu argento post omnia ponas, si nemo praestet —— amorem?* I, 3, 25. sq. *Quum*

tua pervideas oculis male lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? Epod. VIII. princ. *Rogare longo putidam te saeculo, vires quid enervet meas, quum sit tibi dens ater et rugis vetus frontem senectus exaret, hietque turpis inter aridas nates podex velut crudae bovis?*

V. 60. sq. *At* illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.

At nec ex supplendis verbis *licet fronti cornu exsectum esset* pendet, neque alia quadam ratione altius repetita illustrari potest. Tota potius sententia videtur nobis explicationem continere, sicuti Epod. VIII, 7. (Pers. I, 12.) *Sed incitat me pectus et mammae putres.* Epist. I, 15, 13. *sed equis frenato est auris in ore.* Parem in modum coniunctionem *autem* nullus auctor non usurpavit. Minus vero credibile est, poetam *laevi oris* scripsisse, quia *frons laevi oris* pro simplici *frons laeva* impeditius est dicendi genus atque insuper *setosa frons laevi oris* nos de non setosa fronte dextri oris cogitare sinit. Bene igitur Horkelius anal. Hor. p. 27. sq. *oris* cum *orbe,* quem cornu obtinuerit, mutandum praecepit, quamvis *ora* (i. e. *margine)* paullo etiam probabilius videri queat.

V. 71. sq. ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni —

Paucissimi Cdd. *arsit, macros.* Speciose Orellius: „Verborum ordinis perturbatio quaedam ipsam rem imitari videtur.“ Verum idem de omnibus hyperbatis possis iudicare, licet minime in omnia cadat. Cfr. Sat. I, 3, 9. sq. I, 6, 86. sq. II, 3, 133. 211. II, 4, 58. sq. II, 5, 9. sq. 59. 103. II, 7, 70. sq. Carm. I, 22, 17. sq. III, 14, 21. sq. IV, 2, 34. sqq. IV, 6, 41. sqq. Epod. V, 27. sq. XII, 7. sqq. Epist. I, 2, 65. sqq. I, 10, 37., ubi *violens,* si est genuinum, ad *depulit* pertinet nec ad *discessit.* Plura videsis ad Sat. I, 1, 15. II, 5, 59. et II, 8, 94.

V. 86. sqq. Quattuor hinc rapimur viginti et milia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator:

Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.

Oppidulum ab Horatio indigetatum nullum est nisi Equus tuticus, ubi Campania limitem habebat. Hoc enim nomen nec in versum hexametrum cogi poterat et perfacile erat ad signandum, nempe magno equo, qui ipso nomine designatur. Verum Horatius eiusque comites Trivico relicto, quod Acrone auctore in fine Campaniae situm erat, quattuor et viginti milia rhedis rapti iam in Appuliam pervenisse traduntur et quum oppidulum Equus tuticus secundum Itinerar. Antonini et Itinerar. Hierosol. in limite Campaniae situm esset, complures vv. dd. aut de altero Equo tutico aut de alio omnino oppidulo cogitant. Attamen tantum abest, ut Horatius istis obloquatur testimoniis, quibus Equus tuticus in limite Campaniae ponitur, ut eadem praeclare confirmet his verbis: *ultra callidus ut soleat humeris portare viator*, quippe *ultra* manifesto significat *in partem ulteriorem ex citeriore* seu *ex Campania in Appuliam*. Proinde Campaniam oppidulum Equus tuticus finiebat neque vero Trivicum, ut bonus Acron ad v. 79. somniabat, cuius fidem vel insulsum illud commentum *quo vehicula iuncta accedere nequeunt, ergo Horatius ad villam devertit*, iam explodere debebat, quoniam talia non geographum redolent, sed loquacem anum.

Equum tuticum autem Diomedes aeque atque Canusium condidisse traditur. V. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 9. et Strab. VI, 9. Cur igitur Horatius solius Canusii neque simul Equi tutici conditorem memoraverit? Nonne rei magis consentaneum fuerit, aut utriusque oppidi aut neutrius auctorem apponere? Alterum quidem Bentleio praestantius videbatur, attamen v. 92. *qui locus a forti Diomede est conditus olim* recte proscribi nequit, quia eo expulso verba *aquae non ditior urna* non amplius habent, ad quod accommodentur. Tum *aquae urna* non significat aquae copiam neque *urna*, utpote certus quattuor congiorum modus, aut ditior aut pauperior dici potest. Praeterea simplex *ditior* nusquam est *uberior*. His nisus argumentis utriusque potius oppidi conditorem ab Horatio perinde memoratum fuisse arbitror, uti aequalis aquae penuria relata est.

Verum si poeta aquae penuriam Equi tutici et Canusii plane parem perhibere voluisset, vocabulo *urna* sine dubio non usus esset, sed modum minorem vel minimum adhibuisset. Proinde vocem *urna* corruptam putamus et una solum litterula eiecta auctori reddimus: *aquae non ditior una qui locus a forti Diomede est conditus olim*, h. e. *qui locus aquae non ditior* (quam Equus tuticus) *una* (cum Equo tutico) *a forti Diomede olim conditus est.*

V. 93. Flentibus hic Varius discedit maestus amicis.

Torrentium ac Bentleium Fea iniuria corripit, quod *hinc* in motu a loco usurpari non vidissent. Hoc quidem uterque viderit, sed Feam latuit eiusque sectatores, variam lectionem *hinc* nequaquam admitti posse, quod minime de loco a Vario relicto, nam ex eo tota viatorum turba neque solus Varius abiit, sed de Varii discessu ab amicis agitur. Quocirca *flentibus amicis discedit* i. q. *a flentibns amicis discedit*, quocum *hinc* complicari nequit.

SAT. VI.

V. 12. sq. Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit —

Non est, opinor, cur praepositum cognomen in adiectivum *superbus* convertamus. Idem nominum ordo apud Horatium saepius reperitur, e. gr. Sat. I, 5, 32. *Capito* —— *Fonteius.* I, 7, 1. *Regis Rupili.* I, 9, 61. *Fuscus Aristius.* Epist. I, 15. princ. *Musa* —— *Antonius.* Cfr. Meinek. ad Epist. I, 2, 1.

In v. 13. varia lectio *fuit* per se non reprobanda est, etenim qui *pulsus fuit* interpretantur *fuit pulsus nec amplius est pulsus*, illi valde errant, ut satis patescit ex Sat. II, 8, 6. sq. *In primis Lucanus aper; leni fuit austro captus.* Ipsa vero historia lectioni *pulsus fuit* refragatur, siquidem Tarquinium Superbum a Lucio Iunio Bruto nec a Valerio Poplicola regno expulsum esse constat. Expulsum Tarquinium Valerius Poplicola fugavit, quare *unde fugit* significat *a quo fugatus est.* Tempore autem praesenti pro praeterito poeta unusquisque passim usus est. Cfr. Sat. I, 1, 88. sq.. *At sic cognatos, nullo natura labore quos tibi dat, retinere*:

velis servareque amicos. I, 2, 55. sq. *Ut quondam Marsaeus, amator Originis ille, qui patrium mimae donat fundumque laremque.* II, 5, 60. (Prop. I, 2, 27.) *divinare etenim magnus mihi donat Apollo.* Epist. II, 1, 39. *Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.* Carm. II, 2. extr. *quisquis ingentes oculo irretorto spectat acervos,* i. e. *quisquis ingentes acervos spectavit oculis eo non retortis* seu *nihil desiderans,* ut fere dixit Socrates ap. Cic. Tusc. V, 32.

Sententia vero totius loci omnino haec est: *ex contrario Laevinum, nobilissimi quidem Valerii genus, sed minus probum, non umquam uno asse pluris quam probos viros nullis maioribus oriundos licuisse, notante iudice illo populo, qui* nunc (suppl. ut Epist. I, 14, 35.) *stultus saepe indignis dat honores et famae ineptus servit ac stupet in titulis et imaginibus.* Laevini scilicet notae non optimae erant, quamobrem eos Messalla in sua gente numerari noluit. Horatius igitur pristinum populi Romani morem in honoribus deferendis praesenti opposuit, olim quidem cives suos dicens candidatorum tantum probitatem neque generis nobilitatem ponderasse, nunc autem maiores solum nec probitatem candidatorum intueri.

V. 17. sqq. Quid oportet
Nos facere a vulgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.

Quaestio poetae criticos multum vexavit. Bentleius suopte ingenio vos pro *nos* intrusit idque sine ambagibus ad Augustos, Maecenates, Polliones, Messallas, alios retulit. Pernecessariam suam coniecturam idcirco duxit, quod nobis *remotos* ad Horatii genus, rem, locum, conditionem, ingenium, virtutem, doctrinam applicare non liceat, proinde quasi illae res mero ex arbitrio nostro adiici possint. Alii contra vv. dd. *longe longeque remotos* esse volunt *longissime dissentientes,* nomine *sententiis* mente concepto. Ut hoc adminiculum mittam, quod vix minus refutandum est quam supplementa ista Bentleiana, ipsam tamen quaestionis sententiam praeterire non possum. Quam a verbis subsequen-

tibus vehementer abludere iam ex mirabilibus patet modis, quibus vv. dd. haec verba non interpretari, sed ad libita sua explere studuerunt. Ita Heindorfius haec protulit: *Du, Mäcen, musst als ein Mann von dieser Denkungsart in der Wahl deiner Freunde und der Beurtheilung anderer überhaupt nur auf den innern Adel sehen, und ich, der ich mich ebenfalls von der Ansicht des grossen Haufens weit entferne, darf mich nicht von Volksehre geblendet in höhere Würden, als mir geziemt, eindrängen. Denn gesetzt* etc. Herbstius: *Quid oportet nos facere, qui a vulgo longissime dissentientes non stupemus in titulis et imaginibus? Num etsi ignobili sumus loco nati, tamen honores petemus? Minime. Nam facile fieri potest* etc. Sed Horatius verbis *vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem* perspicue ait, se populo ex parte prorsus assentiri, ergo neutiquam longe longeque dissentire, quare *longe longeque remotos* ad praecisam dissensionem revocare non licet. Decepit viros doctissimos pervagatus usus participii temporis praeteriti pro deficiente praesentis. Nempe *a vulgo longe longeque remotos* aperte declarat *qui a vulgo longissime removemur* seu *reiicimur*, quae sententia toti loco unice respondet. Cfr. Sat. I, 2, 65. sq. *poenas dedit usque superque quam satis est pugnis caesus ferroque petitus.* I, 8, 46. *displosa sonat quantum vesica.* II, 3, 183. *latus ut in circo spatiere.* II, 7, 90. sq. *vexat foribusque repulsum perfundit gelida.*

V. 29. Audit continuo: quis homo hic est? quo patre natus?

Membranae tum *est*, tum *et*, tum *aut*, tum *ex* praestant. Per se nulla harum lectionum reiicienda est, sed *et* atque *aut* non tam in curiosius sciscitantes quam in patientius interrogantes cadere videntur, quare utrumque vocabulum huic loco minus congruit. Eamdem vero ob causam nec vulgatae illae quaestiones *quis homo hic est? quo patre natus?* nobis admodum placent. Malumus eas ita in unam conflari: *quis homo hic, est quo patre natus?* Cfr. Sat. II, 3, 201. sq. (317.) *Quorsum insanus, quid enim Aiax fecit?* Carm. III, 27, 37. *Unde, quo veni?*

V. 30. sq. Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus —

Vocula *ut*, ubi *is*, *talis*, *tantus*, *ita*, *sic*, *tam*, *adeo*, *tan-*

tum, alia non adiecta sunt, librarios et criticos (inter quos etiam Bentleium ad Epist. II, 2, 87. sq. *Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter alterius sermone meros audiret honores*, i. e. *talis frater erat, so verbrüdert war in Rom ein Redner mit einem Rechtsgelehrten, dass einer vom andern lauter Complimente hörte.* Cfr. Caes. B. C. 110. *Erant cum Achilla copiae, ut neque numero neque genere hominum neque usu rei militaris contemnendae viderentur.* Hor. Sat. II, 3, 53. sqq. *Est genus unum stultitiae* —— *ut ignes, ut rupes fluviosque in campo obstare queratur.* Epist. I, 16, 12. sq. *Fons* —— *ut nec frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus)* crebro egit transversos, qua de re praeter alios disseruit Oudendorpius ad Caes. B. G. III, 14. Unde hic quoque v. l. *et cupiat* exstitit, quae sententiam reddens ambiguam, ut Barrum etiam corporis morbo aegrotasse suspicari possis, recte explosa est.

V. 45. sqq. Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

Plerique MSS. v. 47. *sim* tuentur, neque suppetit causa, cur spreta maiore Cdd. auctoritate indicativum, qui ceteroqui facilius quam coniunctivus supponi poterat, coniunctivo praeferamus. Levissimum certe nobis videtur, quod critici *sum* defensuri ab diversis particulis *quia* et *quod* praesidium petunt, tamquam coniunctivus post *quia* minus probus sit quam post *quod.* Cfr. Sat. II, 2, 25. sq. *corruptus vanis rerum, quia veneat auro rara avis et picta pandat spectacula cauda.* Cic. Fin. I, 10. *Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur aut odit aut fugit, sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit, sed quia nonnumquam eiusmodi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem.* II, 8. *nec ille* —— *Laelius eo dictus est Sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset* —— *sed quia parvi id duceret.*

V. 49. sqq. Dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,

Praesertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum —

Legerim potius: *quia non, ut forsit honorem, iure mihi invideat quivis ita te quoque amicum*, quoniam vulgatum *quia non ita te quoque amicum* durius est. Gravioris autem momenti est recta verborum *prava ambitione procul* applicatio. Haec quidem aut ad Maecenatem aut ad eius familiares referuntur; verumtamen Maecenas, si umquam ab Horatio *prava* ambitione liber dictus sit, certe *cautus dignos assumere prava ambitione procul* dici non poterat, quia hoc effato prava ei ambitio in universum imputata esset, quam modo in amicis eligendis cautus vitasset. Videantur ergo verba *prava ambitione procul* ad *dignos* pertinere, quod quidem dicendi genus haud improbabile est. Cfr. Sat. I, 3, 68. *vitiis nemo sine nascitur.* Soph. Trach. 962. sq. *ἀγχοῦ δ' ἄρα κοὐ μακρὰν προὔκλαιον*, sc. *ὄντα.* At prava ambitio quid hic quoque sibi velit? An omnes cooptatione Maecenatis iam digni fuerint, qui prava tantummodo ambitione soluti essent? Minime vero. Iam quum verba *prava ambitione procul* nec ad Maecenatem neque ad eius amicos applicari queant, restat dumtaxat, ut puncto post *assumere* posito haec componantur: *Prava ambitione procul felicem dicere non hoc me possim*, i. e. *prava ambitione relegata.* Cfr. Sat. I, 10, 92. *Ambitione relegata te dicere possum*, quo loco etiam v. 53. *possum*, quod plures Cdd. offerunt, defendi posse videatur, sed coniunctivus *possim* quum per se iam verisimilior, tum ideo rectior est, quod hic res attingitur, ut ita dicam, delicatissima, quae modum urbaniorem requirit. V. ad Sat. I, 4, 70.

Non dissimile distinctionis vitium insedit Carm. I, 7, 27. *Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro*, ubi post *auspice* colon collocandum et sequens *Teucro* cum verbo *promisit* copulandum est. Vel in fraudis suspicionem venit viris eruditissimis tota quarta stropha Carm. III, 23. ob falsam potissimum interpunctionem. Si pro puncto signum interrogationis post vocem *mica* restitueris, tam enuntiationem verbis praegressis argumenti instar optime adiunctam quam exitum carminis elegantissimum habebis. Sententia sci-

licet haecce erit: *si* tua *manus aram tetigit immunis* seu *sine munere, non blandior mollivit aversos penates quam sumtuosa hostia* cum *pio farre et saliente mica?* Qui verba *farre pio et saliente mica* ab *hostia* divelli et ad *manus* retorqueri potuerint, cum ignaris equidem ignoro. De praetermissa praepositione *cum* cfr. Carm. III, 5, 5. sq. *Milesne Crassi coniuge barbara turpis maritus vixit* etc. Epist. II, 3, 216. *sic etiam fidibus voces crevere severis.*

V. 54. Nulla etenim mihi te fors obtulit ——

Verba modo antegressa *casu quod te sortitus amicum* hic ratione negativa repetuntur. Praeterea sole fere illustrius est, poetam omnino et exposuisse et exponere debuisse, quomodo ipse amicitiam Maecenatis nec suam Maecenas adeptus sit. Nihilominus v. l. *tibi me* praeeunte Bentleio a compluribus vv. dd. adoptata est, qua non solum absurda iactantia, verum etiam manifestum continetur mendacium. Sed Bentleius pro more et penso suo de Horatio bene meriturus, uti ipse inquit ad Sat. II, 3, 156., prae nimio corrigendi ardore res vel apertissimas persaepe non vidit, quare sanos locos longe plus corrupit quam corruptos sanavit. Illud igitur *tibi me* heredipetae convenerit Sat. II, 5, 33., nec vero Horatio licuit summo suo patrono dicere, quamquam de Tibullo nobis retulit etiam Ovidius Tr. IV, 10, 51. sq. *nec amara Tibullo tempus amicitiae fata dedere meae.*

V. 62. sqq. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.

Secundum Sat. I, 3, 113. *iusto secernere iniquum* sunt, qui *turpi* et *honestum* generis neutrius esse velint. Commate autem, quod post *honestum* vulgatur, tandem deleto statim elucebit, *turpi* et *honestum* generis masculini esse debere, quia neutrum, si patrem praeclarum, certe vitam et pectus purum non habet, quibus secerni queat. Cfr. Epist. II, 3, 213. *rusticus urbano confusus, turpis honesto.*

V. 68. sq. Si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra
Obiiciet vere quisquam mihi ——

Pro *aut* praeter vetustissimum Cd. Blandinium, qui *nec* ex interpolatione non ita rara accepit, omnes mem-

branae *ac* habent. Bentleio tamen perabsurdum videbatur *sordes ac lustra* coniugare, quod ea vitia prorsus contraria essent, neque in unum hominem eodem tempore possent recidere. Itaque *aut* scholiasta Acrone fretus, cuius fidem ad Sat. I, 5, 86. satis spectavimus, item fere intulit, ut v. 53. *possunt* ex pessima enarratione scholiastae Cruquiani. Verum si vox *sordes*, ut Bentleio placuisse videtur, nimiam parsimoniam designaverit, mira nonnemini videatur ista disiunctio *neque avaritiam neque sordes.* Coniunxit potius Tacitus Hist. I, 52. *sordem et avaritiam.* Proinde nomen *sordes* minime hic nimiam parsimoniam, sed avaritiae oppositam vitam spurcam declarat, quacum *mala lustra* perbene concordant. Cfr. Sat. I, 4, 48. sqq. Ergo *aut* Acronis tantum indiligentiae tribuendum est et *ac* Horatio reddi debet.

V. 72. sqq. Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus aera.

Quum pueri in Flavii ludo nil nisi arithmetica discerent, Horatius quattuordecim fere annos natus a patre suo Romam deductus est, ut pariter ac filii equitum senatorumque litteris altioribus erudiretur. Quamvis hinc iam patescat, Horatium non ob minerval Flavio hoc vel illo temporis puncto solvendum Romam portatum esse, tamen plurimi vv. dd. verba *octonis referentes idibus aera* ad illud minerval revocare conati sunt, quo conamine nescio equidem an infelicius nullum reperiatur. Ait sane Dionysius Lambinus: „*octonis idibus* dixit, quia iduum dies sunt octo.“ Verum nec pueri credant, nisi qui nondum aere lavantur, octo dies nonis cuiusque mensis succedentes idus vocatos esse indeque poetam idus octonas finxisse. Illud enim si verum esset, plane non fuisset, cur *octonis* amplius adderetur. Quo quidem vocabulo adiecto ante omnia docendum erat, a Latinis *octonis idibus* duo tempora diversissima, scilicet *octo iduum dies cuiusque mensis* et *idus octonorum mensium*, designata esse, quod doceri nequit, nam hoc promiscuo usu admisso quis, quaeso, octonas illas idus permultum differentes discernere potuisset? Sunt itaque *octonae idus* pro octonis iduum

diebus merae Lambini nugae, quibus tota etiam huius loci sententia perabsurda redditur. Etenim Horatius non eloquutus est, quid Flavii discipuli didicerint, sed potiorem duxit mentionem, quando minerval numeraverint. Imo quum verba *octonis referentes idibus aera* utique significent, quem ad finem grandes centurionum filii in Flavii ludum cursitaverint, adeo minerval octonis idibus solvendum finis evadit discipulorum, qui Flavii ludum frequentabant. Nempe *ibant referentes* valet *ibant relaturi.* Cfr. Carm. III, 20, 6. *ibit insignem repetens Nearchum.* Caes. B. C. I, 18. Corn. Nep. Them. 9. Liv. XXIV, 28. XXX, 20. Quae quum ita sint, poetam *octonis referentes idibus aera* de minervali Flavio numerato nec dixisse neque dicere potuisse luce clarius videtur. Nec vero antegressis modo verbis *laevo suspensi loculos tabulamque lacerto* ulla ratione ambiguum putamus, quemadmodum subsequens *octonis referentes idibus aera* explanandum sit. Loculis nimirum tabulisque discipuli Flavii profecto non utebantur, ut magistro suo expenderent minerval, sed ut ab eo in arithmeticis exercitarentur. Quare neque de eo nobis certandum est, num *domum* an *in scholam* ad *referentes* cogitatione adiici debeat, namque alterum non magis quam alterum omnino supplere licet, nec *referentes* ullo eget supplemento, quandoquidem calculis in tabulas relatum esse ex v. 74. abunde patet, etenim *laevo suspensi loculos tabulamque lacerto* discipuli Flavii non ornatus, sed usus causa incedebant. Dativus autem *octonis idibus* ex verbo *referentes* suspensus rationem (i. e. *Conto*) indicat, in quam aera seu usurae referebantur. Plena igitur poetae oratio haec est: *usuras octonis idibus calculis in tabulas relaturi, um Zinsen für je acht Idus zu berechnen.*

Quod Orellio unice iungenda videbantur *ibant octonis idibus,* id nihil moror, quoniam nemo sobrius affirmaturus est, discipulos Flavii dumtaxat octonis idibus ludum adiisse idque hoc solum consilio, ut pro idibus illis minerval solverent, quomodo Orellius *referentes aera* intellexit. Neque multo est gravius, quod idem auctor exemplum fenebre, quo Horatium patet ad aeruginem curamque peculii civium suorum simul corripiendam usum esse, omnem ratiocinandi artem significare negabat. Nescio equidem, quam dixerit

omnem et exemplum arithmeticum concedo non librum esse arithmeticum, sed quid illud exemplum indicet nisi artem arithmeticam? Cfr. ad Sat. I, 10, 48.

V. 78. sqq. Vestem servosque sequentes
In magno ut populo si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.

In magno ut populo Bentleius in sententiam redegit intermediam, interpretatione arbitrio lectoris permissa. Gesnerus ab Horatio simpliciter enuntiatum censebat: *in publico, in magna, qualis Romae esse solet, turba hominum se tamen conspicuum fuisse.* Heindorfius enarravit: *in so fern dies in dem grossen Volke möglich ist.* Orellius eruit: *ut in magno populo, in magna urbe fieri solet et decet,* sc. *veste decora uti et pedisequis,* alios existimans minus apposite ita construxisse: *ut si qui in magno populo,* in hominum turba atque concursu, cultum meum *vidisset.* Nos nullam harum explicationum amplectentes, neque verbis poetae quidquam suggerentes, *in magno ut populo* aeque atque *ut plurimum* ex formulis illis Graecis ὡς πλήθει et ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος, ὡς ἐπὶ πολύ vel ὡς ἐπὶ τὸ πολύ fluxisse arbitramur et simpliciter vertimus *gemeinhin, für gewöhnlich.* Cfr. Virg. Aen. I, 148. sq. *Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est seditio.* Thucyd. I, 12. καὶ στάσεις ἐν ταῖς πόλεσιν ὡς ἐπὶ πολὺ ἐγίγνοντο.

V. 110. sq. Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Millibus atque aliis vivo.

De verbis *praeclare senator, millibus atque aliis vivo* eiiciendis Reisigius in postremis scholis aestate anni h. s. vigesimi octavi habitis nil exposuit, sed eadem potius defendit. Quum *millibus aliis* (andere Tausende) pro *mille aliis* (tausend Andere) non Latinum sit, licet quidem, ut placuit Reisigio, *aliis* pro *praeterea* dictum accipere, quo significatu quum Latini *alius* et *reliquus,* tum Graeci ἄλλος usurparunt: sed *quam tu atque millibus aliis,* si quisquam, certe Horatius non construxit, neque *millibus aliis* cum *hoc* copulaverim, quod poeta suam vivendi rationem haud dubie omnium hominum ambitiosorum nec solius Tillii vitae opposuit. Qua de causa *millibus* equidem sincerum, *aliis* vero a librariis ex more suo, quem ad Sat. I, 2, 125. attigi, in-

terpolatum iudico, hoc de coniectura reponens: *millibus atque* alius *vivo*, sicuti legimus Epist. I, 16, 20. *neve putes alium sapiente bonoque beatum.* II, 1, 240. *alius Lysippo.* Ceterum *alius* post *commodius* ne te offendat, contende Sat. I, 4, 107. sq. *parce, frugaliter atque viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.*

V. 122. sqq. Ad quartam iaceo; post hanc vagor aut ego lecto
Aut scripto, quod me tacitum iuvet; unguor olivo
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

Nondum orto sole solebat Horatius in lectulo suo in habitum studentis compositus aut legere aut scribere. Alterum etiam contestatur Epist. II, 1, 111. sqq. *Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus, invenior Parthis mendacior et prius orto sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.* Propterea iam Bentleius *aut lecto aut scripto, quod me tacitum iuvet* de tempore usque ad quartam horam recte intellexit, beneque Meinekius *tacitum* ad poetam retulit vagantem, de quo meditandi more inter ambulandum accuratiorem habes mentionem Sat. I, 9. princ. Orellius contra Horatium hoc eloquutum opinabatur: „post quartam aut vagor, sine certo consilio solus incedo — aut, si hoc non placet, ungor oleo" etc. Quemadmodum semicolo post *vagor* apposito adhuc voculam *aut* cum verbo *vagor* connectere potuerit, nos non comprehendimus. Idem *ego* ait manifesto ad verbum *unguor* pertinere; Bentleius autem *vagor ego* construens hac pronominis traiectione nihil usitatius esse eamque adeo elegantiam quamdam prae se ferre contendit, laudans Sat. I, 4, 133. sq. *quum lectulus aut me porticus excepit.* Cuius generis sane plura specimina exstant, velut v. 88. *laus illi debetur et a me gratia maior.* Sat. II, 2, 11. sqq. *seu pila velox — seu te discus agit.* II, 3, 318. sq. *Tanto quum magis atque se magis inflaret.* II, 8, 51. sq. *Erucas virides, inulas ego primus amaras monstravi incoquere.* Adde Epist. I, 5, 7. Carm. I, 9, 16. I, 27, 21. II, 17, 17. IV, 7, 23. At cuncta haec exempla nostro cum loco, ubi non unum, sed plura verba habemus atque alteri demum pronomen additum est, non plane congruunt. Neque huc spectat Sat. I, 10, 98. *Demetri teque, Tigelli*, ubi ceteroqui solum *que* transpositum est, ut frequentissime. Magis

convenit Carm. IV, 1, 38. sqq. *iam captum teneo, iam volucrem sequor te per gramina Martii campi.* Sat. II, 7. princ. *Iam dudum ausculto et cupiens tibi dicere servus pauca reformido.*

V. 125. sq. Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio campum lusumque trigonem.

Quam male grammatici Romani poemata Horatiana tractaverint, hic locus praeter multos alios splendide declarat. Plerique enim Lb. MSS. praestant *fugio rabiosi tempora signi,* solus antiquissimus Blandinius cum uno alterove recentiore *fugio campum lusumque trigonem.* Neque dubitare possumus, quin utraque lectio pervetusta sit, quoniam alteram iam scholiastae Horatii sequuti sunt, alteram vetustissimus omnium Cdd. confirmat. Neutra tamen ab Horatio profecta est. Etenim *rabiosi tempora signi* non potes non referre ad *solem acriorem.* Ecquis vero *solem acriorem* et *tempora signi rabiosi* unum idemque significare sibi persuadeat? Et si utrumque plane idem significet, quamquam alterum *(rabiosi tempora signi)* nihil aliud quam *dies caniculares* designare potest, quis Horatium effutivisse credat *ubi me fessum sol acrior ire lavatum admonuit, fugio solem acriorem?* Exspectabas saltem apodosin *eo lavatum,* nam haec res est potior nec sol iste acrior, cuius iterata mentio ab elegantissimo nostro poeta quam maxime aliena est. Cfr. ad Sat. I, 1, 23. Praeterea auctor huius lectionis se locum tollere non vidit, unde fugit Horatius, ita ut unctus olivo tam diu apricatus esse videatur, quoad eum sol acrior ire lavatum admonuerit. Nam qui *fugio rabiosi tempora signi* explicari voluit: *relinquo campum ibique morari devito illo diei tempore, quo solis aestus maxime saevit,* ille profecto suam modo mentem aperuit, neque quisquilias reddidit interpolatoris. Is, ni fallor, solum assuere voluit, Horatium diebus canicularibus rus fugere solitum esse.

Verum quod Bentleius ex antiquissimo MS. Blandinio reduxit, *campum lusumque trigonem,* hoc, si non aeque ac *rabiosi tempora signi* spurium, certe nonnihil corruptum est. Dicit quidem Bentleius, aut se egregie falli aut illam solum sinceram lectionem esse et Venusina lucerna dignam; at

eam amplissime illustrans, ut fit, rem principem oblitus est. Nempe ut de eo taceamus, in campo Martio Romanos non modo pila, verum pluribus etiam aliis ludis sese exercuisse atque hanc ob causam minime apparere, cur solum lusum trigonem poeta attulerit: ante omnia utique id Bentleius commonstrare debebat, Horatium, si non unice, saltem omnino pila ludere consuevisse. Hoc sane scholiasta Cruquianus aliique interpretes ad Sat. II, 6, 49. nobis prodiderunt, ipse autem poeta diserte negavit Sat. I, 5, 48. sq. *Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque, namque pila lippis inimicum et ludere crudis.* Apage igitur *lusum trigonem* non minus quam *rabiosi tempora signi.* Attamen *campum* pernecessarium ideoque genuinum ducimus, unde sequens *lusumque* perquam probabile evadit, ita ut tantum *trigonem* imprudenti cuidam grammatico acceptum referamus. Fortasse sincerum est *fugio campum lusumque* strigosum, h. e. *inornatum, nudum* seu *gymnicum.*

Non dissimiliter, credo, principium Epist. II, 3. *Humano capiti cervicem pictor equinam iungere si velit et varias inducere plumas undique collatis membris, ut turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa superne* depravatum est. Horatius quidem de inconcinno disseruit pictore, at Pseudodaedalus iste, qui *plumas* subdidit, pictorem plane delirum invexit atque insuper tabulam sibimet ipsi vehementer repugnantem confinxit. Hinc scilicet, quod quispiam humano capiti cervicem equinam appingat membrisque undique collatis varias inducat plumas, mulier superne formosa turpiter atrum in piscem desinens prodire dicitur. Ergo vel mulier capite plumato adhuc superne formosa? Unde porro simplex piscis ater, posteaquam pictor cunctis membris collaticiis varias induxerit plumas? Praeterea humano capite cum cervice equina proposito non oportebat imaginem interrumpi, sed de ceteris quoque corporis partibus verba fieri. Ac sane fecit ea Horatius, uti testis est Quintilianus Inst. Or. VIII, 3, 60. hunc locum sic reddens: *Humano capiti cervicem pictor equinam iungere si velit et cetera ex diversis naturis subiiciat.* Ex qua expositione eum in exemplari suo adhuc reperisse colligo *et varias inducere* partes *undique collatis membris,* quam lectionem illu-

strare sibi videbatur, qui ablativum *membris* inscite pro dativo habens *plumas* pro *partes* supposuit.

Multo etiam maior corruptela invasit in Epist. I, 1, 59. sqq. *At pueri ludentes, rex eris, aiunt, si recte facies. Hic murus aeneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Auctorem verborum posteriorum Horatium non fuisse praeter alia absurdus a nenia puerorum transitus, sententia manca (ecquid enim murus ille aeneus defendat?) et perplexum genus dicendi satis superque aperiunt, quare hoc emblema Meinekius summo iure exterminavit. Reddidit Horatius suo modo illam puerorum cantilenam: *Rex eris, si recte faxis; si non faxis, non eris,* cuius altera pars versum sexagesimum finiens ab interpolatore sublata est.

SAT. VII.

V. 1. sqq. Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

Horatius hoc sermone litem quamdam inter P. Rupilium Regem et Persium, negotiatorem Clazomenium, anno DCCXII u. c. in M. Bruti castris agitatam et contumeliis utrimque iactis admodum nobilitatam, cui ipse tribunus militaris interfuerat, eum ad finem descripsit, ut universum hominum genus maledicum carperet. Nam quod retulerunt scholiastae, Rupilium in Bruti castris Horatium aegre tulisse tribunum militum eidemque generis ignobilitatem saepius exprobrasse atque idcirco Horatium, *ut se ulcisceretur,* infacetum et arrogans Rupilii in iurgando cum Persio ingenium perstrinxisse: hoc, quantumvis etiam a viris valde eruditis pro documento fide dignissimo habitum sit, nos minime dubitamus, quin ex mera prodierit coniectura eaque maxime futili. Bene sane tenemus, Horatio utpote libertino tantum patre nato tribunatum militarem magnam conflasse invidiam; Rupilium autem inter eius obtrectatores fuisse adeoque locum principem obtinuisse, ut ultionis ansam dederit, nusquam narratum est. Sed ut hanc ultionis ansam concedamus, praecise tamen infitiari debemus, vindictae causa ullum sermonem ab Horatio compositum esse. Candide enim ipse professus est Sat. II, 1, 39. *Sed hic stilus*

haud petet ultro quemquam animantem et me veluti custodiet ensis vagina tectus: quem cur destringere coner tutus ab infestis latronibus? O pater et rex Iuppiter, ut pereat positum robigine telum, nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille, qui me commorit (melius non tangere clamo), flebit et insignis tota cantabitur urbe. Ad quem quidem locum Heindorfius haecce adscripsit: *Was Horaz hier andeutet, dass sein Spott in diesen Satiren nur die Personen treffe, von denen er selbst angegriffen sei, ist gewiss bis auf wenige Ausnahmen, wo etwa allgemein verspottete oder verachtete genannt werden, mit Wahrheit gesagt.* Quibus erroribus ad v. 47. hunc cumulum aggessit: *Sogleich eine Vollziehung der eben angedrohten Strafe.* At qui tempora tantum verborum *petet* —— *custodiet* —— *coner* —— *commorit* —— *flebit* —— *cantabitur)* et disertam provocationis deprecationem attenderit, non poterit non reperire, poetam plane contrarium dixisse, scilicet se nondum ad vindictam lacessitum esse, ergo etiam ultionis causa nullumdum sermonem conscripsisse. Vel comminatio vindictae nonnisi ad antegressum Trebatii effatum *(sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit)* adaptata atque perinde iocosa est, ut illa Sat. I, 4. extr.

Iam quod ad Rupilium attinet, Horatius eius obtrectationem, si qua praecessit, nunc ne poterat quidem ulcisci, quippe hic adversarius ei iam Romam reverso nullius amplius momenti erat. Qua eadem de causa poeta Sat. I, 6, 45. sqq. totam illam invidiam ob tribunatum militarem tamquam rem anteactam paucissimis modo verbis attigit. Quin eodem sermone de innumeris, quibus tunc vexabatur, obtrectatoribus ne unum quidem nominatim vellicavit. Perperam itaque Bentleius, *Horatius,* inquit, *qui Rupilium male oderat, omnibus eum saeculis traductum et laceratum voluit,* maleque Heindorfius more suo mirabundus rogabat: *Wie konnte Wieland, was in dieser Notiz* (scholiastarum) *nicht aus der Satire hervorgeht, für blosse Erdichtung der Scholiasten erklären?* Longe rectius iam Cruquius de mendacio scholiastarum: ' *Hoc,* inquit, *ut incertum, ita mihi pro comperto est, eum non plus Rupilio quam Persio esse gravem.* Cfr. ad Sat. I, 1, 95.

Nec minus secure Heindorfius quaestionem de aetate huius sermonis hac interrogatione profligavit: *Wie früh oder spät diese Erzählung nach der lustigen Geschichte, welche sie zum Gegenstand hat, niedergeschrieben ist, wer könnte dies bestimmen?* Sed ipsa iam, quae narratur, historia castrensis longius quoddam temporis spatium interiectum non concedit, siquidem leviculam rem, quae plus minusve est obsoleta, haud commode retractamus. Neque istam historiam iam obsoletam fuisse ex v. 3. consequitur, quia hic res omnibus solum lippis et tonsoribus sive loquacibus tantum hominibus (v. ad Sat. I, 1, 120.) nota dicitur. Praeterea Horatio ex pugna Philippensi Romam regresso seque ad poesin satiricam factitandam accingenti recens memoria lepidas Rupilii Persiique lites facillime suggessit. Porro quum nemo nascatur artifex, nostrum quoque auctorem versiculos Graecos pangere frustra cônatum primitus minuscula tantum specimina poetica exhibuisse veri est simillimum, cuius generis quin hic sit libellus atque sequens octavus, vix dubium videtur. Postremo inde quoque, quod neutro libello Maecenatis iniecta est mentio, utrumque ante familiaritatem Maecenatianam ab Horatio conditum esse non iniuria concludas. Quare Massonus vit. Hor. p. 69. aliique vv. dd. hunc sermonem anno DCCXIII u. c. magna cum probabilitate assignarunt.

Belle autem poeta composuit *proscripti Regis*, lectores de exactis regibus Romanis admoniturus. Quod non animadvertentes nonnulli interpretes adeo mirati sunt, quod Rupilii proscriptio notata sit a proscripto. Horatius tamen numquam proscriptus fuit, nam verba Suetonii vit. Hor. in. *Bello Philippensi excitus a M. Bruto imperatore tribunus militum meruit, victisque partibus venia impetrata scriptum quaestorium comparavit* sic modo intelligenda sunt, ut veniam impetraverit, quatenus totus Bruti exercitus, cui teste Dione Cassio XLVII. extr. impunitas proposita est, veniam impetravit. Et si fuisset proscriptus, Rupilii proscriptionem non minus perstringere potuisset quam ipse lippus lippitudinem aliorum (v. 3. et Sat. I, 1, 120.) perstrinxit, quoniam sua vitia numquam studuit occulere. V. ad Sat. I, 1, 95. Vel Augusti et Maecenatis amicus se

Bruti signa sequutum esse saepius meminit, veluti Sat. I, 6, 45. sqq. Carm. II, 7, 9. sqq. III, 4, 26. Epist. II, 2, 46. sqq.

V. 4. sq. Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas ——

Speciosa sane coniectura est *et iam*, sed cave ne te fallat, quia hinc minus rectam accipimus sententiam. Nempe *et iam* praeteritam quamdam rem sibi oppositam requirit, ita ut Persius cum Rupilio litigans non amplius permagna negotia Clazomenis habuisse traderetur. Contra *etiam* valde festivum est, quod sic lites cum Rege molestae tamquam appendix permagnorum Persii negotiorum apparent.

V. 6. sq. Durus homo atque odio, qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

Varia lectio *tumidus* vulgatae *tumidusque* praestat. Male quidem Bentleius asyndeta cane peius persequi solitus: *Quid attinet* que *eiicere? quamnam lucrabimur elegantiam?* Asyndeton, inquam, et sequenti *Sisennas, Barros* bene respondet et per se iam convenientius est. De innumeris exemplis adhibe modo Sat. II, 3, 96. sq. *ille clarus erit, fortis, iustus.* Epist. I, 20, 24. sq. *corporis exigui, praecanum, solibus aptum, irasci celerem.* II, 3, 121. *impiger, iracundus, inexorabilis, acer.* Fortasse *tumidusque* metrici fuit correctio.

V. 9. sqq. Postquam nihil inter utrumque
Convenit (hoc etenim sunt omnes iure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit ——

Iunge *omnes molesti* et sic interpretare: *etenim hoc iure* (i. e. *non paciscendi*) *omnes utuntur molesti, quo fortes duello implicati, denn diese Gerechtsame haben alle Maulhelden, wie die Kriegshelden, welche in einen Zweikampf verwickelt werden.* Mirum est, quod Heindorfius invenit: alle kriegführenden Mächte (scherzhaft schliesst dies hier auch die Zänker und Haderer ein) haben dasselbe Recht, einander molesti zu sein, welches sie haben, tapfer zu sein. Neque recte v. 11. *adversis* ex coniectura substitutum est, siquidem *adversum bellum* non minus bene dicitur quam *prava stultitia* (Epist. II, 2, 152. sq.), *fraus mala* (Carm.

I, 3, 28.), *sincera veritas*, *falsa adulatio*, alia, de quibus iam Thomas Wopkensius Lectt. Tull. p. 266. disputavit.

V. 15. sqq. duo si discordia **vexet** inertes
Aut si disparibus **bellum incidat**, ut **Diomedi**
Cum Lycio Glauco, **discedat pigrior**, **ultro**
Muneribus missis) ——

Verba *vexare* et *versare* a librariis frequenter confusa sunt, v. c. Carm. II, 9, 3. Sat. I, 8, 19. II, 3, 249. Inde hoc quoque loco in Cdd. tam *vexet* quam *verset* reperitur. Alterum vero spurium et tantopere absonum est, quantopere *vexet* concinnum, etenim *inertem versare* significat aut *inertem excitare*, *stimulare* (v. Sat. II, 7, 94.) aut *insanum facere*, quarum significationum neutra huc quadrat. Quam aptum autem sit *vexet*, elucet ex Epist. I, 18, 98. II, 2, 90. al.

Verba sqq. *bellum incidat, ut Diomedi cum Lycio Glauco, discedat pigrior*, *ultro muneribus missis* vereor, ne critici nimis patienter tulerint. Primum nobis displicet *bellum incidat*, quod modo v. 11. adhibitum non est elegantiae Horatianae. Cfr. ad Sat. II, 3, 113. Deinde ad *inertes* nullum exemplum poeta addidit, cur igitur *dispares* specimine quodam illustraverit? Tum ipsum exemplum eius est generis, ut perversius adiici non posset. Nempe Glaucus ab Homero Il. VI, 123. sqq. et 207. sqq. fortissimus dicitur minimeque piger miles. Porro si Glaucus Diomede *pigrior* appellatur, *pigrum* etiam Diomedem fuisse necesse est. Tum Glaucus neque pigrior discessit nec ultro dona dedit, namque causa certaminis a Diomede et Glauco intermissi non erat ignavia, sed quod inter maiores eorum intercesserat hospitium. Neque Glaucus, sed Diomedes non solum illud certamen, verum quodcumque etiam posterius dissuasit, ut testatur Homerus Il. VI, 226. sqq. Denique Glaucus nulla munera dedit, sed cum Diomedis armis sua tantum permutavit atque huius etiam permutationis auctor fuit Diomedes nec Glaucus. Putasne igitur, poetam Homeri studiosissimum (v. Epist. I, 2.) Diomedis et Glauci exemplum omnino affudisse? Non ego, nam illud *ut Diomedi cum Lycio Glauco* apertum est interpretamentum ludimagistri cuiusdam Romani, quo Horatium locupletaturus simul

bellum incidat ex v. 11. repetiit. Poeta, ni fallor, tantum hoc dedit: *aut si disparibus* sis, cedat *pigrior, ultro muneribus missis.* Simillimum embolium habemus Epist. I, 18, 91. sq. *bibuli media de nocte Falerni oderunt.* Quod qualis auctor consarcinaverit, iam solius vini Falerni mentio egregie nobis ostendit. An soli potores media de nocte damnose *Falernum* bibentes convivam oderint pocula recusantem? Quae ineptiae etiam explicatu Gesneri minime tolluntur, sed tantum transponuntur. Unde liquet, reor, caecum quemdam interpretem verbo *oderunt* male iterato nihil nisi Epist. I, 14, 34. *bibulum liquidi media de luce Falerni* fere descripsisse, quum ei Carm. I, 1, 19. sqq. recoquere minus proclive esset. Optime ergo Meinekius verba insiticia eiecit. Cfr. Cic. Tusc. V, 40. extr.

V. 18. sqq. **Bruto praetore tenente**
Ditem Asiam Rupili et Persi par pugnat ——

Longior parenthesis sine copula orationem interruptam restaurante Heindorfium aliosque commovit, ut anacoluthiam statui mallent. Sed praeter Epist. I, 15, 2. sqq. et 16. sqq. contendas Sat. I, 1, 23. sqq. *Praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens percurram (quamquam ridentem dicere verum quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa velint ut discere prima, sed tamen amoto quaeramus seria ludo): ille gravem duro terram qui vertit aratro* etc.

V. 26. sq. **ruebat**
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.

H. e. *ut flumen hibernum* eo ruit, *quo securis raro fertur* sive *ut flumen hibernum in silvam densam ruit.* Auctor huius comparationis non est Demosthenes, sed iam Homerus Il. XI, 492. sqq., quem locum Horatius partim hic, partim Carm. IV, 2, 5. sq. repetiit.

V. 28. sq. **Tum Praenestinus salso multoque fluenti**
Expressa arbusto regerit convicia ——

Pro vulgato *multumque* Bentleius v. l. *multoque* secundum Demosth. de Cor. XLIII, 3. *Τότε μὲν ἐγὼ τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα* recte quidem reposuit (cfr. Sat. I, 4, 11. et Carm. IV, 2, 7.), sed ut de errantibus suis collegis triumphare posset, notabili quadam perfidia usus est. Cunctos enim interpretes, quod *salso* et

fluenti cum *arbusto* consociaverint neque ad Persium retulerint, reprehendere non veritus est, quum ipse ad Carm. I, 25, 17. adeo *fluente* maluisset, ut ablativus indubius fieret. Nec vero hunc solum errorem a semet ipso commissum alto praeteriit silentio, verum etiam Demosthenis locum sibi a Lambino ad v. 26. subministratum esse reticuit, id quod iam Valckenarius ad Eur. Hippol. 443. iure castigavit. Quam gloriosus fuerit, mira sua prodidit gloriae deprecatione ad Sat. I, 9, 30.

SAT. VIII.

V. 1. sq. Olim truncus eram ficulnus ——

Priapus, numen illud ridiculum, hoc sermone nonnulla mysteria a Canidia et Sagana maiore in Maecenatis hortis Esquilinis facta enarrat. Quales istae mulieres fuerint, vel ex eo patescit, quod Priapus, cui ruber palus obsceno ab inguine porrectus erat, earum veneficia refert. Scilicet anus erant obscenae nec solum sagae, ita ut Horatius universum veterum sagarum scortorumque genus hoc libello carpere instituerit, quod aliquo temporis spatio intermisso Epodis V et XVII amplius persequutus est. Sunt autem nomina *Canidia* et *Sagana* ab Horatio pariter ficta atque plurima alia, uti ad Sat. I, 1, 95. demonstravimus.

Longe alia Heindorfius aliique vv. dd. hic detexerunt. Ille quidem Canidiam vel Gratidiam, ut scholiastis auctoribus malebat, Horatii amicam fuisse ex Carm. I, 16. extr. coniecit et *discordia quadam exorta infidelem ultionis causa palam vellicatam esse* finxit. Verum Carm. I, 16. amicae Canidiae Horatius mentionem nec fecit neque facere potuit, quia iam illo tempore, quum Epodos V et XVII cantaret, Canidia erat *obscena anus, amata nautis multum et institoribus.* V. Epod. V, 98. et XVII, 20. Praeterea mirum videtur silentium, quod Heindorfius de Sagana tenuit, etsi haec non minus quam Canidia proscissa est. Id si ipse reputasset, fortasse Canidiae quoque rem amatoriam abiecisset, nec nugas scholiastarum praeiudicata sua de Horatio ultore opinione cumulasset.

Quod ad aetatem huius sermonis spectat, enucleata sane testimonia natalicia non habemus, sed tam res, quae

tractatur, quam genus parodiae recentiorem adhuc poetae militiam prodit. Quocirca libellus non ita multo post pugnam Philippensem conscriptus videtur et quidem ante Satiram huius libri secundam, quod longiori sermoni sine dubio brevior praemissus est. Tempore autem, quo Horatius Satiram illam secundam faciebat, Maecenatis amicitiam nondum adeptus erat, quamobrem etiam hoc libello, licet mysteria in hortis Maecenatianis patrata exponantur, ipse Maecenas nondum memoratus est.

V. 14. sqq. Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

„*Quo*, Bentleius inquit, neque ut adverbium nec ut pronomen huc quadrat: tum autem ambigue et neglegenter cum *modo* coniungitur.“ Invitis itaque codicibus *qua* rescripsit. Sane *quo* et *qua* in Lb. MSS. saepius permutata sunt (e. c. Carm. II, 3, 9., ubi *quo* aeque ac subsequens *quid* nil valet nisi *quorsum, wozu,* sicuti Sat. I, 6, 24. et Epist. I, 5, 12.), hic tamen *qua* ad Esquilias salubres et aggerem apricum spectans non rectius est quam *quo,* i. e. *quo aggere aprico.* Nempe Priapus Esquilias, quales nunc sint atque paullo ante fuerint, describens ait, nunc licere Esquiliis salubribus habitare atque in aggere aprico spatiari, paullo ante albis ossibus deformem agrum spectatum esse. Ergo antehac non magis in aggere aprico spatiari licebat quam Esquiliis salubribus habitare, quia Esquiliae non erant salubres et agger apricus non exstabat. Quare quum huc respici nequeat, tam *qua* quam *quo* mendosum est et nobis pronomine relativo ad omissum demonstrativum accommodato sic relegendum: qui *modo tristes albis informem spectabant ossibus agrum.* Cfr. Ov. Tr. III, 7, 42. *Irus et est subito, qui modo Croesus erat.* Sequens vocula *modo* pro ablativo habita corruptelam adduxit, ut ad Sat. I, 2, 125. ostendimus. Ceterum cave audias, qui Esquilinum aggerem ab Maecenate conditum cum Tarquinii Superbi aggere Esquiliis vicino mera voce *agger* decepti permiscent.

V. 17. sqq. Quum mihi non tantum furesque feraeque suetae
Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis

Humanos animos, has nullo perdere possum
Nec prohibere modo ——

Priapus iam ad caput rei narrandae se convertit. Laudatis Esquiliis nunc plane commutatis inter res adversas, quibuscum sibi conflictandum sit, maxime veneficas ossa herbasque legentes conquestus tamquam specimen molestiarum suarum mysteria a Canidia et Sagana maiore facta depromit. Nova igitur sententia a v. 17. incipit maleque *quum* ad antegressum *nunc* a nonnullis vv. dd. applicatur, praesertim quum huic vocabulo subsequens *modo* dilucide oppositum sit, ut de aliis causis adversantibus taceam. Nec tamen *quin*, quod coniecit Horkelius anal. Hor. p. 123. sqq., adoptare licet, quoniam Priapus de cura atque labore suo nihildum protulit, ut non pateat, quid sibi *quin* velit. Neque est omnino, cur *quum* corrigas, dummodo recte explicueris. Designat nimirum i. q. *quamvis*, veluti Epist. I, 6, 25. II, 2, 153. Sat. II, 7, 40. 65. Carm. I, 7, 27. Quapropter etiam *sint*, quod nonnulli Cdd. conservarunt, genuinum videtur. Certe coniunctivus indicativo longe usitatior iudicandus est.

V. 28. sq. ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

Manes et *animae* non male componuntur, sed *fabulae manes* inepte connectuntur Carm. I, 4, 16. Nec vero ullum vocabulum ibi corrigendum, sed modo post *fabulaeque* tandem comma inserendum est, ut docet Persius V, 152. *cinis et manes et fabula fies.* Cfr. Mart. XII, 52, 5. *Dulcis in Elysio narraris fabula campo.*

V. 32. sq. Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Iam peritura modis.

H. e. *cerea sic suppliciter stabat, ut quae servilibus modis iam peritura esset,* veluti Caesar scripsit B. G. V, 31. *Prima luce sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste, sed ab homine amicissimo Ambiorige consilium datum, longissimo agmine maximisque impedimentis.* Scriptura *utque* itidem nata est, uti *auxilioque* Sat. I, 4, 141. multaque similia. Ceterum *servilibus modis* passim cum *stabat* male iungitur, nam servi non est semper *suppliciter* stare, sed potius *capite obstipo.*

V. 44. sq. et ut non testis inultus
Horruerim voces furiarum et facta duarum.

Fea ex uno Lb. MS. *obruerim* recepit. „Priapus, inquit, de maleficis illis vindictam sumens, ut testis non inultus, etsi alias perdere antea nullo modo potuisset, has dissipavit earumque opera obruit solo ventris crepitu. Voces et facta illarum non horrore commovere deum debebant, ut refugeret, sed ad iram provocare et ad vindictam deridiculam spectatoribus.“ Orellius *obruerim* interpolatori tribuens longe significantiorem putat diversam Horatii sententiam. Nobis lectionem vulgatam ab interpolatore profectam esse iam praecedens *non testis inultus* sat evincere videtur, quandoquidem non *horruisse*, sed *obruisse voces et facta duarum furiarum* in testem convenit non inultum.

V. 48. sq. Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere ——

Neque Canidia dentibus utebatur insitis, nam cum Sagana agnam pullam mordicus divellebat; nec Sagana crines habebat suppositicios, quippe e contrario asperis capillis ut marinus echinus aut currens aper horrebat. V. Epod. V, 27. sq. Proinde tantum abest, ut Priapus Canidiae dentes ac Saganae altum caliendrum excidisse serio dixerit, ut rem nimis exaggerans horribiles dentes Canidiae atque Saganae setas suillas lepide notaverit.

SAT. IX.

V. 1. sqq. Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Accurrit quidam ——

Horatio inter Maecenatis familiares Virgilio Varioque auctoribus recepto fieri non poterat, quin multi viri docti maximeque poetae, quorum numerus haud exiguus conditionesque non laetissimae erant (v. Epist. II, 1, 108. sqq. et 219. sqq.), eamdem appeterent amicitiam, ut credebant, auream. Quo consilio non pauci et inter eos etiam ignoti atque indigni homines Horatium domi revisisse adeoque palam occupasse videntur, eum quovis pacto in partes suas pellicere tentantes, ut Maecenati insinuarentur. Itaque poeta, ut et se

ab illis vexatoribus liberaret et Maecenatis familiaritatem quam maxime sinceram integramque declararet, importunos istos assectatores uno proposito exemplo perstrinxit.

Scriptus est sermo non ita multo post Maecenatis amicitiam ab Horatio impetratam, namque ipsum argumentum longius quoddam intervallum non concedit. Praeterea colloquium v. 43. sqq. de Maecenate institutum amicitiam illam adhuc recentissimam indicat. Quas ob causas hunc libellum circiter anno DCCXVII u. c. adscripserim.

Belle autem Horatius per totum sermonem tam suum quam asseclae habitum non simpliciter retulit, sed diversa orationis specie, quam Epist. II, 3, 114. sqq. scite exposuit, quasi adumbravit. Statim igitur ab initio eum contra quam assectatorem solutius incedentem fere conspicimus, velut Sat. I, 5. princ. *Egressum magna me accepit Aricia Roma hospitio modico; rhetor comes Heliodorus, Graecorum linguae doctissimus. Inde Forum Appi, differtum nautis, cauponibus atque malignis.* Quod genus perelegans quum Bentleium prorsus lateret, post *ibam* omnibus membranis refragantibus pessime *ut* inculcavit.

Nimis contra illi sunt curiosi, qui adeo argumentum nugarum ab Horatio in via sacra ambulante excussarum sciscitantur. Erant res mane in lectulo aut lectae aut scriptae, quas ipse poeta, si adhuc memoria teneret, certe recensere non dignatus est. In nugis vero occupatissimum ac paene sui ipsius oblitum homo quidam ei nomine tantum notus occupat, eodem haud dubie usus modo, quem ipse suum libere profitetur v. 59. *occurram in triviis.* Quocirca etiam ambigere non licet, variam lectionem *occurrit* genuinam et vulgatam *accurrit* notham esse. Perperam quidem Orellius verbum *occurrit* languidum opinabatur, quoniam hoc loco violentam potius oppositionem exprimit, uti alibi creberrime. Cfr. Caes. B. C. III, 41 *breviore itinere se occurrere ei posse sperans.* Hor. Epod. V, 92. *nocturnus occurram furor.* Tib. I, 2, 25. sq. *Nec sinit, occurrat quisquam, qui corpora ferro vulneret aut rapta praemia veste petat.* Virg. Aen. X, 282. (XI, 503. 808. XII, 536.) *ultro occurramus ad undam.* Mart. XI, 99, 2. *Instant, morantur, persequuntur, occurrunt.*

V. 11. sqq. O te, Bolane, cerebri
Felicem aiebam tacitus, quum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret.

Schol. Cruq. *dicebam intra me, Bolanum esse felicem, qui ὀξύχολος nullius ineptias ferebat, sed statim vel in faciem quemvis reprehendebat vel de eo quid sentiret, non dissimulate dicebat.* Hac anili fabella, qua etiam peculiaris quaedam fingitur iracundia, quae dumtaxat adversus ineptias effundatur, me induci non patiar, ut Horatium existimem sibi cerebrum precatum esse. Talem precationem unam omnium perversissimam esse non infitiabitur, qui ipsum Horatium vel quadraginta quattuor annos natum adhuc iracundiorem fuisse (v. Epist. I, 20, 25.) meminerit, neque sanum poetam cum Peripateticis iracundiam hic praedicasse velit, quam Carm. I, 16. multum explosit. Neque vero ἄχολον Bolanum, licet res ipsa pro suo defectu non ita raro ponatur (cfr. Carm. I, 28, 3. sq. *parva —— munera.* II, 3, 15. sq. *sororum fila trium —— atra.* III, 4, 11. *somno),* cerebri felicem dictum arbitror, quoniam singularis quaedam ineptiarum patientia aeque est nebulosa atque impatientia. Sed nobis neque ὀξυχόλῳ nec ἀχόλῳ Bolano locum concedentibus quid, quaeris, illud *cerebri felicem* denotet? Tale quid, credo, quod sine asseclae sui offensione Horatius non poterat verbis eloqui. Trepidanti vero ac tergiversanti iam sudor ad imos manabat talos, quum non missura cutem nisi plena cruoris hirudo ad discedendum sese nondum accingeret, sed quidlibet potius garriret. Quo fiebat, quod rei utique erat consentaneum, ut bilis Horatii, quod ei postea (v. 66.) denuo accidit, vehementer moveretur. Hoc igitur nihilque amplius tacitus conquerebatur, *cerebri feracem* Bolanum dicens *cerebri felicem.* Idem designat adiectivum *felix* Epod. II, 11. sq. *inutilesque falce ramos amputans feliciores inserit.*

V. 15. sqq. sed nil agis, usque tenebo,
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum,
Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.

Verbum *persequar* antegresso *usque tenebo* praeclare congruit. Languidula est v. l. *prosequar*, quae etiam de-

fectu epitheti reprobatur longiorem comitatum indicantis, quod omitti non poterat, quia Bolanus Horatium hucusque iam prosequutus erat. In subsequente autem interrogatione Orellius *hinc* supervacaneum existimabat, quamobrem cum pluribus criticis composuit: *persequar hinc, quo nunc iter est tibi.* In qua tamen enuntiatione non solum *hinc* perinde otiosum censeri potest, sed tota adeo appendicula *hinc, quo nunc iter est tibi.* Haec vero verba interrogantis fuisse ex Horatii responso (*quemdam volo visere* etc.) elucet, quod sine dubio, quum Bolano nil amplius respondisset, nonnisi sigillatim rogatus dedit. Praeterea hominis acerrime adhaerescentis et Horatium nihil curantis impudentia, modo verbis *nil agis, usque tenebo, persequar* declarata, protinus adiecta quaestione *hinc quo nunc iter est tibi?* utpote qua longior quidam comitatus iam certissimus indicetur, apte adaugetur. Ceterum *hinc* non magis hoc loco quam innumeris aliis abundat. V. Sat. I, 5, 47. 50. 71. 86. al.

V. 22. sq. Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies ——

Mira profecto modestia oris alioqui impudentissimi, etenim statim ita gloriatur: *quis me scribere plures aut citius possit versus, quis membra movere mollius? Invideat quod et Hermogenes, ego canto.* Quid insuper attinebat ad Horatium, si Bolanus bene se noverat? Num illi, si hic bene se noverat, quidquam erat faciundum? Apage ergo ficticiam istam falsamque modestiam et contortam orationem sic mecum corrige: *si bene* te *novi.*

V. 26. sqq. Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam,
Omnes composui. Felices! nunc ego resto.
Confice ——

Verba *felices! nunc ego resto* Bolano attributa hoc significant: *felices vos iam mortuos! nunc ego resto infelix.* Ut autem ille mortuos praedicaverit, eidem tamen querimoniam suae sortis aegre largiamur. Dein omnibus cognatis iam mortuis non erat, cur Bolanum adhuc restare enucleate adderetur. Quo in additamento etiam *nunc* falsum est, quia ille non nunc demum, sed ex quo ultimum cognatorum composuerat, iam restabat. Denique etiam

verbum *confice* non habet, quo adaptetur, si verba *felices! nunc ego resto* Bolano adscripseris. His contra Horatio assignatis responsum valde festivum paratur: *felices vos hoc ab homine loquacissimo iam enecatos! nunc cognatis non amplius suppetentibus ordo me tangit. Eneca igitur, namque sors mihi puero ab anu Sabella cantata instat.*

V. 29. sq. namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna.

Divina urna, adiectivo nominis potioris ad inferius translato, sermoni poetico bene convenit, sicut Sat. I, 6, 59. *Satureiano caballo.* II, 4, 37. *cara mensa.* Epist. I, 1, 94. *inaequali tonsore.* Carm. I, 20, 9. *prelo Caleno.* I, 31, 9. *Calena falce.* III, 6, 38. *Sabellis ligonibus.* Pers. II, 5. *tacita acerra.* Nec minus *mota anus*, ut iam ad Soph. Trach. 345. construximus, probum est. Eamdem in speciem dixit Virgilius Aen. IV, 268. *Ibant obscuri sola sub nocte per umbras.*

V. 33. sq. Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
Si sapiat, vitet ——

Cumque cum *quando* necessario copulatur, quia, si omnino singulare fuit vocabulum, saltem *quocumque tempore*, uti interpretes Carm. I, 32, 15. vulgo autumant, non denotabat. Etenim *quando* non potes mente praefigere, nisi etiam supplementis *ut*, *ubi*, *qui*, *qualis*, *quantus*, *quantulus*, *quot*, *quoties*, *quotus* etc. locum concesseris, id quod nemo sobrius committat. Itaque debebat saltem Graecorum σὺν δὲ conferri. Etiamsi vero Horatius dictionem Graecam frequenter imitatus est, longe tamen probabilius puto, eum precatum esse *mihi* usque *salve*, quod quis hiatu fortasse inductus perperam interpolavit. V. ad Sat. I, 1, 108.

V. 38. sq. Si me amas, inquit, paullum hic ades.

Non elegantius, sed rectius est *huc ades*, quod nonnulli Cdd. servarunt. Cfr. de hac formula Virg. Ecl. II, 45. VII, 9. IX, 39. Tib. I, 7, 49. II, 1, 35. IV, 4, 1. 2. Ov. Tr. V, 3, 43. Amor. I, 6, 54. II, 12, 16. III, 2, 46. Similia sunt *adesse ad puteal* Sat. II, 6, 35., *ad iudicium* Cic. Verr. I, 1., *ad tabulam Sextiam* Quint. 6., *Capuam ad consules* Att. VII, 18., *in senatum* Phil. V, 7.

V. 40. sq. Dubius sum, quid faciam, inquit,
Tene relinquam an rem.

Nonnullos Orellius ait verba *tene relinquam an rem* pro interrogatione directa habere, quia, ut opinentur, post *quid faciam* necessario ponendum fuisset *utrum* —— *an.* Equidem novi auctorem, qui *utrum* pro *quid* desiderabat ac propterea puncto post *inquit* collocato quaestionem directam conformabat; sed qua quis de causa *utrum* —— *an* requirere potuerit, id haud facile percipias. Nec vero directa ista interrogatione *quid* aliam accipit vim quam indirecta, quippe etiamnunc ad res spectat duas, qui quidem pronominis *quis* usus nec ab Horatio neque ab ullo alio auctore plane alienus est. Cfr. Sat. II, 6, 75. *quidve ad amicitias, usus rectumne trahat nos.* Epist. I, 4, 2. sqq. *Quid nunc te dicam facere in regione Pedana? Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat, an tacitum silvas inter reptare salubres, curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?* II, 1, 41. sq. *inter quos referendus erit, veteresne poetas an quos et praesens et postera respuat aetas?* Ov. Met. III, 465. *Quid faciam, roger anne rogem?* Pont. I, 3, 71. sq. (Caes. B. G. V, 44. Tac. Ann. I, 47.) *Pulsus Aristides patria Lacedaemona fugit, inter quas dubium, quae prior esset, erat.* Cic. Fam. VI, 8. *A me consilium petis, quid tibi sim auctor, in Siciliane subsidàs an ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare.*

V. 43. sq. Maecenas quomodo tecum?
Hinc repetit. Paucorum hominum et mentis bene sanae.
Nemo dexterius fortuna est usus.

Bolanus, qui hoc tantum consilio, ut Maecenati traderetur, ambulanti Horatio occurrerat, sed praeconio sui ingenii finem spectatum poeta interpellante (v. 26.) non contigerat, iam mentem suam clarius aperit. Attamen ne rem omnem effundat, hinc repetit, quomodo Maecenas cum Horatio agat. Ad quam interrogationem utique non alius quam interrogatus respondit *paucorum hominum et mentis bene sanae.* Quare quod hoc responsum una cum verbis insequentibus usque ad v. 48. Bolano vindicari potuit, satis mirari nequeo. Is profecto Maecenatem minus cognitum habebat, quam ut eum omnino idque adeo Horatio

describere valeret. Praeterea homo importunus viam ad Maecenatem, quam facili negotio sibi erat muniturus neque ita difficilem animo informaverat, ipse sibi nonnullis praestruxerit impedimentis? Idem etiam tam mente captus fuerit, ut Maecenate neminem fortuna dexterius usum esse blateraret, quum virum illum praestantissimum quilibet sciret quam maxime contrarium fecisse? Cui placeant insuper ipsa haec disiecti membra poetae: *paucorum hominum et mentis bene sanae, nemo dexterius fortuna est usus?* Qualis postrêmo verbis *nemo dexterius fortuna est usus* a Bolano de Maecenate effutitis iste est transitus ad Horatium *haberes magnum adiutorem?* Quorsum, quaeso, *adiutorem,* si modo res Maecenatiana nec Horatiana agebatur?

Sed poetae responsum *paucorum hominum et mentis bene sanae* nondum recte explanatum reperio. Alii quidem *mentis bene sanae* de ipso Maecenate, alii de paucis hominibus intelligunt. Nos tale Maecenatis praeconium perinde reprobamus atque Sat. I, 6, 51. sq. *prava ambitione procul.* Neque credibile videtur, Horatium ordine tam praepostero (*paucorum hominum et mentis bene sanae* pro *mentis bene sanae et paucorum hominum*) Maecenatem laudaturum fuisse. Praeterea eum verbum *est* diverso significatu nobis supplendum reliquisse parum est probabile. Magis igitur nonnemini placeat, *mentis bene sanae* ad paucos homines referre, uti iam Ceruto ante tria ferme saecula visum est sic enarranti: *dixi, eum esse, qui in suam familiaritatem paucos recipiat et eosdem valde prudentes.* Nec genitivus *mentis bene sanae* post antegressum adiectivum *paucorum* (ut Sat. I, 2, 10. I, 4, 8. I, 7, 7. II, 7, 52.) nobis non arridet, sed coniunctio genitivorum *paucorum hominum et mentis bene sanae* illam interpretationem tantopere recondit, ut eam non amplectar. Quam quidem obscuritatem nonnulli vv. dd. eo discutere conabantur, quod *et* in uno Feae Lb. MS. non obvium expungebant; verumtamen *paucorum hominum mentis bene sanae* facile quispiam ita possit intelligere, ut Maecenas non multos homines mentis bene sanae sustinuisse arguatur. Qua ambiguitate vitata ac verbo *est,* quod cogitatione suggerendum, una tantummodo eademque significatione concessa Horatium hoc respondisse arbitra-

mur: *amat paucos homines et mentem bene sanam, er ist für wenig Menschen und ganz gesunden Menschenverstand.* Declinans scilicet, ut decebat, ab interrogatione hominis communi sensu plane carentis et responsum ad manifestum eius conamen accommodans duo ei impedimenta ex indole Maecenatis depromta obiecit. Assecla autem ingenio vel fervidiore vel hebetiore hinc non odoratus, se Maecenati non acceptum, sed supervacaneum ac male sanum declaratum esse, dexteritatem potius, qua Horatius fortuna sibi oblata usus in Maecenatis familiaritatem pervenerit, valde collaudat, non sentiens ille quidem, se tali praedicatione adeo vulgi maligni sermonem (v. Sat. I, 6, 45. sqq. et II, 6, 40. sqq.) impense exaggerare. Atqui in ista collaudatione *nemo dexterius fortuna est usus* plures vv. dd. *quam tu* desiderant eratque, qui scholiastam Cruq. *te usus* legisse ex eius explicatione *nemo est te felicior amicitia Maecenatis* colligeret. Verum hoc teste etiam v. 53. possis *me* inserere, quippe interpretatur: *hoc dicendo multo me magis accendis, ut cupiam ei familiaris esse.* Imo Sat. II, 3, 264. pro *si obsecret* ipse auctor horum verborum Terentius *si me obsecret* habet, neque quidquam ibi novandum est, siquidem in dialogo pronomina substantiva haud raro minimeque incommode praetermittuntur. Praeter annotata ad Sat. I, 4, 14. compara v. 22. sq. *Si bene te novi, non Viscum pluris amicum, non Varium facies,* sc. *quam me.* Carm. I, 25, 17. sq. *laeta quod pubes hedera virenti gaudeat pulla magis atque myrto,* i. e. *quam te decrepita.* II, 17. princ. *Nec dis amicum est nec mihi, te prius obire,* sc. *quam me.* III, 9. princ. *nec quisquam potior brachia candidae cervici iuvenis dabat,* i. e. *quam ego.* Ibid. 5. sq. *Donec non alia magis arsisti,* sc. *quam me.* Epod. XIV, 9. sq. *Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium,* i. e. *quam ego ardeo.*

V. 48. sqq. Non isto vivitur illic,
Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mi officit, inquam,
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
Cuique suus.

Iudicium h. l. de domo Maecenatiana factum propterea

admodum est notabile, quod eo poeta etiam Augusto adversatus est. Is enim, ut Suetonius vit. Hor. auctor est, Horatio epistolarum officium obtulit eaque de re ad Maecenatem dignos assumere non incautum haecce perscripsit: *Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam, nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam et nos in scribendis epistolis iuvabit.* Ad quae Horatius epistolarum officio recusando respondit.

V. 48. verecundiae poetae *vivitur* magis congruit quam v. l. *vivimus*, quae ab interpretibus videtur profecta esse. Contra in v. 50. v. l. *umquam* ex mero mendo librariorum nata est, etenim haec temporis notio certe otiosa est (cfr. Sat. I, 2, 101. *Altera nil obstat)*, si non omnino absona. Verbum *inquam* non ita raro postpositum invenitur, velut Sat. II, 3, 39. *inquit.*

V. 60. sq. Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit ——

Festive Bolanus cum oratore vel histrione comparatur. Cfr. Cic. Or. III, 56. *quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.* Valet ergo *agit* i. q. *declamat* et v. l. *ait* minime praestantior, sed aeque spuria est ac Sat. II, 3, 260. *ait ubi secum,* quocum loco contendas Sat. I, 4, 137. sq. *Haec ego mecum compressis agito labris.*

V. 63. sq. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima brachia ——

Lentissima brachia nec inflexibilia neque flexibilia sunt, sed maxime adducta, nihil concedentia seu tenacissima. Ita Neaera amica ab Horatio Epod. XV, 5. sq. dicitur *arctius atque hedera procera adstringitur ilex lentis adhaerens brachiis*, i. e. *tenacibus brachiis.* Ad cuiusmodi brachia optime quidem *prensare* quadrat nec vero v. l. *pressare.* Hoc enim verbum, si omnino epitheton brachiorum requirat, certe non *lentissima*, sed *durissima* exigat. Nec nobis liquet, cur Horatius ipsa brachia pressare voluerit neque potius manus. At *qui vellere coeperat,* Fea inquit, *iam prehenderat.* Recte vero. Scilicet poeta vellendis brachiis nihil profecit, quamobrem ad ea progressus est

prensanda. Cfr. Tac. Hist. III, 28. *prehensarent hostium tela brachiaque.*

V. 69. sq. hodie tricesima sabbata: vin tu
Curtis Iudaeis oppedere?

Cd. Berol. B. (nr. 5.) primitus habet *gratissima*, vulgato *tricesima* a manu posteriore suprascripto. Videtur autem *tricesima* Horatianum esse neque tamen ex fastis Iudaicis repetitum. Totus enim Aristii Fusci habitus perquam est festivus. Postquam Horatio variis rationibus clandestinis ab importuno assecla sese liberaturo non opitulatus est, secretum etiam colloquium, quod ipse antea petiit vel petiisse fertur, eam ob causam detrectat, quod hodie tricesima sint sabbata. Qua excusatione mere simulata improbus simul permultos Iudaeorum dies festos irridet, ita ut nomen *tricesima* plane ficticium nil nisi maximam copiam et *sabbata* cunctos dies festos nec solum septimum cuiusque hebdomadis diem designent.

V. 76. sqq. Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius, clamor utrimque,
Undique concursus: sic me servavit Apollo.

Fea verbum *oppono* ab hoc loco ideo alienum putans, quod poeta non restiterit, sed auriculam ultro libenterque obtulerit, ex duobus MSS. *appono* recepit. Sed *appono auriculam* neque est *ultro libenterque offero auriculam* et vereor adeo, ut hic omnino locum capessere queat. Namque *appono auriculam* antestanti, qui illam vellat, re ipsa redarguitur, quandoquidem appositam auriculam antestans non amplius vellere potest. Itaque vulgatum *oppono* (i. e. *obviam pono)* conservandum censemus, quod est gratificantis nec adversantis, nam quis queat etiam auricula adversari?

V. 78. poeta pariter atque Carm. II, 7, 13. sq. II, 17, 27. sqq. III, 4, 9. sqq. genus Homericum (e. c. Il. III, 380. sqq. V, 23. 318. 344. sq. 445. sq. XX, 443. sq.) sequutus est, quapropter eum ad Apollinis statuam in foro prope tribunal positam respexisse seque gratia quasi Apollinis forensis, Bolanum tandem in ius rapientis, servatum praedicasse non crediderim. Neque Apollinem mala averruncantem intellexerim, sed prorsus eumdem, quem Horatius

Carm. IV, 6, 29. sq. sibi spiritum et artem carminis nomenque poetae dedisse dixit.

SAT. X.

V. 1. sqq. **Lucili, quam sis mendosus, teste Catone**
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Quo melior vir et est longe subtilior illo,
Qui multum puer et loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc.

Hos octo versus in plerisque Lb. MSS. repertos (nam eos a plerisque abesse Orellius quum ex silentio criticorum male collegit, tum iniquius arbitratus est, alioquin enim nec tredecim Feae Cdd. *nonnullos* dixisset), postquam aut Landino praeeunte in annotationes relegati, aut adeo, quae via magno etiam Bentleio expeditior et proclivior visa est, plane expuncti erant, secundum vetustissima exemplaria impressa Gesnerus restituit, eos, si non Horatii, antiqui tamen et ingeniosi hominis opus esse ratus, licet Dionysius Lambinus pronuntiasset: „Hos versus si quis non videt non esse Horatianos, in his litteris parum videt.“ Praeterea Iac. Frid. Heusingerus *(de versibus Horatianis, quibus eques importunus Lucilii defensor facete reprehenditur, caussa parum manifesta ab Horatio abiudicatis.* Wolfenb. 1759.) illos versus ab interitu vindicare studuit. Contra Heindorfius versus controversos Horatii quidem esse existimabat, sed ab eo aut Satirae II, 1. praemissos posteaque reprobatos, aut aliam ad Satiram exordiendam compositos nec vero absolutos. Imperfectos autem versus Horatio mortuo ad ineuntem hanc Satiram, quo quadrare visi essent, tralatos esse, copulationis gratia verbis *ut redeam illuc* adsutis. Sed hoc fragmentum non in omnia pervenisse exemplaria, quamobrem nec in omnibus Cdd. exstet nec scholiastas invenerit. Cuius quidem generis membranis hi auctores mirabiles usi sint, iam ad Sat. I, 5, 6. vidimus.

Iam vero quomodo illud habet genuinum, ut opinantur, Satirae initium: *Nempe incomposito dixi pede currere versus*

Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est, ut non hoc fateatur? Lambinus principia tali modo praecisa atque abrupta, proinde quasi essent tritissima, planis adeo integrisque anteponebat, quod quaedam relinquantur auditori seu lectori potius subintelligenda, quae subintelligantur concinnius quam a poeta exprimerentur. Haec enim esse subintelligenda: *Quid est, quamobrem tam graviter accuser?* aut *quid est, quod ita de me querantur homines?* Ad quae responderi: *nempe incomposito* etc., i. e. *plane fateor, me dixisse Lucilii versus esse incompositos.* Habemus ergo responsum ad quaestiunculam a Lambino demum confictam neque ab Horatio positam. At bonus Lambinus atque quisque alius nobis concesserit, eius generis supplementum, in quo mentio fiat Lucilii, nullo pacto fingi posse, sicut rursüs ex supplemento, in quo Lucilii mentio nulla facta sit, neminem valere de ipso Lucilio insequente coniecturam facere, quum eodem prorsus iure de persona vel re quavis alia cogitare nobis liceat. Quid igitur vel fictae interrogatiunculae nobis conducant, quum Lucilius affingi nequeat?

Neque abruptus iste introitus, quem etiam Heindorfius mirifice laudabat, etsi sic interpretatus est: *das habe ich doch wohl gesagt,* quasi alii id dictum negassent, eo potest defendi, quod noster libellus argumento suo cum Satira I, 4. arctissime cohaereat, quoniam tale adminiculum per se iam prorsus improbabile est atque ex illa Satira, quae ceteroqui sex fere annis prius scripta est quam decima, supplementum nullum redundat, ad quod praefractum huius Satirae exordium revocare possis. Quin tale supplementum ex Satira quarta ne potest quidem redundare, quia decima non ob quartae argumentum, sed ob eius adversarios exarata est, quibus non coortis neque Horatio sese defendendi ansa ulla data esset. Quod si verum est, quis Horatium putet eam causam, qua ad Satiram decimam condendam commotus sit, non perinde atque alibi, e. gr. Sat. II, 1. in., in medium attulisse, sed potius libellum, quo ineunte tamquam ex somnio excussus secum ipso colloqui videatur, in vulgus argumentum somnii istius ignorans ideoque exordium minime intelligens emisisse?

Attamen causa illa ab Horatio bene apposita est, si

modo versus iniuria suspectos, uno dumtaxat exemto, ei restitueris auctori. Quod quominus fiat, nec genus dicendi, quod singuli propemodum versus Horatianum declarant, nec quidquam aliud intercedit. Imo hos versiculos, si ab octavo discesseris, post obitum Horatii non procreatos esse verbis *qui male factos emendare parat versus* luculenter commonstratur, id quod miramur Lambinum de aetate eorum agentem non animadvertisse. Recte igitur iam Vossius de poet. Lat. p. 9. *sunt,* ait, *valde antiqui, quidquid dicat Lambinus.* Iam si aetate Horatii infelices illi versiculi octavo excepto confecti sunt, quem tandem alium recte iudices auctorem quam eum, cuius rebus unice inservirent?

His de causis equidem non dubito, quin versus ex longissimo temporis spatio multum vexati non amplius sollicitandi, sed octavo exemto tandem auctori suo Horatio reddendi sint. Etenim, ni fallor egregie, iam grammatici Romani initium huius sermonis sustulerunt, ut Lucilio gratificarentur, qui etiam Quintiliani aetate tantos habebat fautores, ut eum non eiusdem modo operis scriptoribus, sed cunctis poetis anteferrent. In quibus liturae auctoribus maxime illum hoc loco acerrime correptum grammaticum numerandum esse vix ambiguum videtur.

Octavum vero versum spurium esse incurrit paene in oculos et ex parte iam vidit Heindorfius, qui haud dubie longe aliud de loco nostro iudicium fecisset, si non solum futilem istum pannum *ut redeam illuc,* sed nimium claudicans quoque additamentum *grammaticorum equitum doctissimus* curiosius explorasset. Hoc scilicet, si non ad Catonem accuratius describendum ab homine quodam nasuto, qui doctrinam suam ex Suetonio de illustr. gramm. 11. petierat, ubi Valerius Cato, Horatii aequalis, Bibaculo auctore summus grammaticus optimusque poeta vocatus est, primitus in margine annotatum erat, unde postea, copula *ut redeam illuc* adsuta, in ipsam Satiram praepostere inculcatum est: certe capitalem Horatii inimicum de industria non nominatum nonnihil designabat, cui notae, quum in ordinem verborum transscriberetur, pervagata formula *ut redeam illuc* adspersa est, ut aliquo modo et versus compleretur et disturbata oratio redintegraretur. Hoc

igitur absurdo versiculo rursus exagitato oratio sequente fastidiorum expositione *nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili* perbene procedit.

V. 4. vulgatur *est quo vir melior, longe subtilior illo,* quam scripturam non sinceram esse, praeter asyndeton minus commodum, iam illud *vir melior* indigetat, quod ab exspectato *melior vir* discrepare et tuus te sensus docebit et Horatius Sat. I, 3, 32. Praeterea in Cdd. reperiuntur *quo melior vir est, quo vir est melior, quo est vir melior, quo melior vir adest,* alia. Omnium lectionum fide dignissima est *quo melior vir et est longe subtilior illo,* quam nonnulli MSS. servarunt. Similem verbi transgressionem Horatius frequentissime admisit, e. c. Sat. I, 3, 61. *atque vigent.* Ibid. 63. 125. *et est.* I, 4, 68. *et vivat.* Ibid. 107. sq. *atque viverem.* I, 6, 43. sq. *concurrantque* —— *vincatque.* Ibid. 70. *et vivo.* I, 8, 34. *atque videres.* I, 9, 51. *aut est.* I, 10, 90. *et probet.* II, 2, 22. *aut poterit.* II, 3, 130. *clamentque.* Ibid. 175. *ne sequerere.* Ibid. 182. *perdasque.* II, 4, 45. *et foret.* II, 6, 74. *an sint.* II, 7, 13. *iam mallet.* Epist. I, 6, 44. *vel tolleret.* II, 1, 95. *nunc arsit.* Ibid. 98. *nunc est gavisa.* Ibid. 213. *modo ponit.* II, 3, 308. *quo ferat.* Ibid. 373. *non concessere.* Carm. I, 2, 50. *hic ames.* I, 3, 19. *qui vidit.* I, 11, 4. *seu tribuit.* I, 15, 9. *quantus adest.* I, 27 12. *qua pereat.* I, 30, 6. *properentque.* III, 21, 2. *sive geris.* III, 25, 2. *quos agor.* IV, 5, 33. *te prosequitur.* Epod. VII, 11. *nec fuit.* Ibid. 13. *an rapit.* XI, 22. *et infregi.* Carm. Saec. 22. *referatque.* Ceterum pronomen *illo* post idem modo praemissum item repetitum est, ut Sat. I, 9, 12. sq. et II, 2, 129. sqq.

V. 5. Gesnerus *est loris* de coniectura legendum suasit, quod Heindorfius substituit. Nobis scriptura membranarum *et loris et funibus udis,* utpote qua vis aliquanto maior exprimatur, non solum integra, verum etiam emendatione Gesneri praestantior videtur. Qui *est* mente concipere nolit, is certe *est oratus* pro *exoratus* probabilius rescribet, quamvis ego etiam hoc fortius verbum propter fortius contrapositum *et loris et funibus udis* non comminuam, praesertim quum verbo *est* non aegre careamus. Cfr. Sat. I, 2, 42. I, 8, 28. II, 1, 67. 74. II, 3, 139. 144.

245. Omissum *fuit* fluctus excitavit in simpulo Carm. II, 13, 2. *quicumque primum*, i. e. *quicumque auctor fuit*, quod non tantum ad *posuit*, sed etiam ad *produxit* referri debet, ut sententia haec sit: *ille, quicumque auctor fuit, et nefasto die te posuit et sacrilega manu produxit.*

V. 6. vulgo *exhortatus* legitur, praeter quam lectionem MSS. etiam *exortatus* et *exoratus* praestant. Glareanus secundum Ter. Heaut. V, 1, 77. exornatus coniecit, quod idem aliis criticis arridebat. Horkelius anal. Hor. p. 115. sqq. excoriatus genuinum duxit. Nobis nulla correctione opus esse videtur, quoniam *et loris et funibus udis exoratus* plane Horatianum est, uti ad Sat. I, 3, 25. probavimus. Nam qui *puerum exorare* in magistrum cadere negant, non satis videntur attendisse, Horatium non *puerum exoratum*, sed *puerum et loris et funibus udis exoratum* dixisse; tum nullius oxymori partes singulas spectari posse, nisi totum oxymoron tollere velis, quippe quod nonnisi ex ipsa coniunctione duorum contrapositorum constet. Nec multum nobis ambigendum videtur, utrum *exoratus* an *exhortatus* anteferamus, quia contraposito *et loris et funibus udis* non *exhortatus*, sed *exoratus* reposcitur.

V. 31. sqq. At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
Quum versus facias: te ipsum percontor, an et quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriaeque patrisque, Latine
Quum Pedius causas exsudet, Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?

Lb. MSS. his in verbis nihil propemodum variant, nisi quod in plerisque v. 35. *Latini* exstat. Tanto maior autem criticorum dissensio de toto loco et ordinando et exponendo. Sic Fea, postquam Lambinus versus 33—38 in unam redegit interrogationem, eamdem constituit, praeterquam quod verba *quum versus facias* adversario Horatii attribuit, quae quidem ipsius sunt poetae, neque tamen rogantis aut, ut Orellius opinabatur, concedentis, sed orationem adversarii pertexentis. Insuper Lambinus ex duobus Cdd. *Latine* reponens de hac lectione sincera dubitaturum politum litteris arbitrabatur neminem. Contra Bentleius emendationem Lam-

binianam viris eruditissimis maximopere placuisse non poterat satis demirari. Quaerit, quorsum adeo *patris* oblitus? cur non et *avorum maiorumque omnium?* Tum qualia etiam illa sint, *quum Pedius et Corvinus* alias non soliti Graece agere *Latine causas agunt?* Neque dictum esse *causas agere,* sed *causas exsudare,* quod portentum plane sit et in ignotas terras deportandum, ubi incolae Latine vomant et Latine ventrem exonerent. Praeterea *oblitos* pro *oblitus* idcirco substitui voluit, quod nescias, quid hic faciant aut quorsum pertineant Pedius et Corvinus cum causis suis. Nos *Latine* revocaremus etiam cunctis Cdd. refragantibus atque argumenta a Bentleio opposita auctore putamus indignissima. Ad quaestionem, cur *patris nec avorum maiorumque omnium oblitus* poeta dixerit, fere licet respondere: ob ineptias vitandas, siquidem non ab avis maioribusque omnibus, sed solis a parentibus vulgo loqui discimus. Exsultantem autem ac tripudiantem Bentleium prorsus ignorasse, *Latine* creberrime significare *pure et emendate* (v. Cic. de opt. gen. orator. 2.), profecto valde mirabile est.

Iam illud exploremus, quod idem auctor expromsit: *te ipsum percontor, an et quum dura tibi peragenda rei sit causa Petilli? Scilicet oblitos* (quam quidem coniecturam non recepit) *patriaeque patrisque Latini, quum Pedius causas exsudet, Poplicola atque Corvinus, patriis intermiscere petita verba foris malis, Canusini more bilinguis?* h. e. ipso interprete: *rogo, an et in causis agendis? Scilicet, quum Pedius et Corvinus, clari oratores, causas orant, malis eos oblitos patrii sermonis verba foris petita orationibus suis inserere?* Primum *oblitos* sequente numero singulari *exsudet* Bentleianum est, non Horatianum. Deinde ad interrogationem: *an et quum dura* tibi *peragenda rei sit causa Petilli, sermo lingua concinnus utraque suavior?* inepte respondetur: *scilicet* Pedium atque Corvinum *malis Graeca verbis Latinis inserere?* Rogatus enim adversarius, quid ipse sit facturus, reponere nequit, quid alios velit facere. Tum poeta Pedium atque Corvinum, si simpliciter eos causas exsudare seu oratores dumtaxat sudantes pronuntiasset, non tam laudasset quam reprehendisset. Porro *bilingui* adversario refellendo ab Horatio oratores oppositos esse

sudantes? Quin ipsa etiam oppositio per se spectata, *oratores causas exsudantes malis barbare loqui quam causas exsudare*, perversissima est, quandoquidem barbara oratio non exsudatam, sed Latinam efflagitat contrariam. Quapropter *Latine* pernecessarium est, quod librarios solum cum antegresso *patrisque* compegisse iam ad Sat. I, 2, 125. indicavimus. Adverbio restituto tota oratio perbene conformata est et Pedio atque Corvino laus illa magna, de qua Cicero Brut. 37. verba fecit, recte tribuitur. Minus, credo, critici errassent, si *tu oblitus* invenissent. Sed de pronomine substantivo etiam in contrapositis praetermisso videsis ad Sat. II, 3, 212. Ceterum Horatius, quod Bentleium latebat, v. 36. numero plurali *causas* nonnisi Petillii *causam* denotavit, qualia in poeta quocumque reperimus. Cfr. Carm. IV, 15, 20. *miseras inimicat urbes*, i. e. *Romam*.

V. 39. sq. Atque ego quum Graecos facerem natus mare citra
Versiculos ———

Atque sententiam exordiens hoc loco, ut saepissime alibi, non modo copulationi, verum etiam conclusioni inservit. V. Manut. ad Cic. Fam. III, 10. Male multi Cdd. *atqui* exhibent, quia Graeci versiculi, etiamsi bene in cumulum accedebant, bilingui tamen Lucilii fautori non poterant opponi.

V. 45 sqq. haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Huc respexit Horatius Epist. I, 19, 41. sqq. *Spissis indigna theatris scripta pudet recitare et nugis addere pondus, si dixi.* Dubium autem videtur, quam aedem hic et Epist. II, 2, 94. intellexerit. Permulta quidem de ea iam Massonus vit. Hor. p. 161—176 et Bentleius ad Epist. II, 2, 94. commentati sunt, sed uterque falsus est. Ille enim *aede* putabat domum privatam indicari, hic vel bibliothecam Apollinis Palatini ab Augusto conditam, vel aedem Herculis Musarum a Philippo instauratam et exstructam. Attamen si cum Massono omnino *domum* intelligere volueris, simplex *in aede*, genere eius non notato, aut prorsus abundabit, aut de contrario *(sub divo)* nos minus commode admonebit. Longe vero peior Bentleii est opinio. Namque

de una omnino aede cogitari nullo modo posse iam ex Epist. II, 2, 93. sq. *quanto cum fastu, quanto molimine circum spectemus vacuam Romanis vatibus aedem* clarissime patescit. Praeterea supplementis *Apollinis Palatini* vel *Herculis Musarum,* ex quo illud ellipsium quarumlibet saeculum praeteriit, nemo amplius locum concedat. Denique Bentleius severissimam suam legem, qua primus Satirarum liber ab Horatio intra annos aetatis XXVI—XXVIII seu DCCXV—DCCXVII u. c. conscriptus fingitur, ipse violavit, quoniam templum Apollinis Palatini ab Augusto anno demum DCCXXVI u. c. sive Horatii XXXVII perfectum est. In universum autem auctores scripta sua privatis in aedibus recitare solitos esse nobis infitiari non licet, quippe id Iuvenalis VII, 39. sqq., Seneca Suasor. 6. extr. et Auctor dial. de orator. 9. sq. affatim contestantur. Atqui *aedes* numero singulari domum privatam non significat et si significaret, simplex *in aede* hoc loco non probabile fore iam supra monuimus. Quocirca *aedem,* nomine dei cuiusdam non addito aut mente addendo, itidem statuimus sacrarium seu lararium declarare, ut *aediculam* sacellum. Cfr. Carm. I, 30. init. *vocantis ture te multo Glycerae decoram transfer in aedem.* Tib. I, 10, 20. *stabat in exigua ligneus aede deus.* Suet. Iul. 84. *pro rostris aurata aedes ad simulacrum templi Veneris genitricis collocata.*

V. 48. sqq. Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comes garrire libellos
Unus vivorum, Fundani ———

Plerisque in membranis legitur *comis,* forma procul dubio accusativi numeri pluralis antiquior. Pro nominativo enim numeri singularis haberi nequit, quia enuntiatum *potes garrire libellos unus vivorum,* quo laus integra nondum continetur, non amplius auctoris, sed libellorum epitheton laudabile requirit. Ablativis autem *arguta meretrice Davoque eludente* comoedia illo genere indigetatur, quo poeta specimen rei pro re tota aliquoties apposuit, veluti v. 34. Sat. I, 6, 75. Epist. II, 3, 325. sqq. Neque *garrire libellos* nobis potest displicere, quum non solum loquentes, verum etiam scribentes *garrire* dicantur et Horatium pateat *garrire* a personis comoediae in ipsum auctorem lepide trans-

tulisse. Magis vero notabile videtur, Fundanium, inter comicos poetas Horatii aetate principem, neque a Sedigito apud Gell. N. A. XV, 24. nec alibi memoratum esse. Romani tamen ipso Quintiliano teste (Inst. Or. X, 1, 99.) in comoedia maxime claudicabant, quare etiam Fundanius modo primus inter poetas omnino inferiores videtur fuisse. Praeclare de eo egit Horkelius anal. Hor. p. 49. sqq., cuius quidem emendatione, ut mea fert opinio, *arguta meretrice* pſaces *Davoque Chremeta eludente senem, comis garrire*, popeſſo *unus vivorum, Fundani* supersedere possumus.

V. 50. sqq. Pollio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer
Ut nemo Varius ducit ——

Horkelius anal. Hor. p. 148. sqq. de coniectura *fata* rescripsit, hisce potissimum argumentis adductus: *facta canere* generatim esse epicorum poetarum et quamvis ab Aristotele A. P. 6. tragoedia dicatur *μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης*, hic tamen, ubi tragoedia et epos discriminentur, de integritate nominis *facta* dubitandum esse. Indigetari quidem tragoediam illo *pede ter percusso*, sed poesin epicam et tragicam sic definire, ut in factis celebrandis alteram hexametris uti dicas, alteram trimetris, rude quiddam habere et paene puerile, quod non dignum videatur Horatio. Praeterea epos *forte* vocatum esse et quidem, quod poeta totus in rebus gestis vel narrandis vel describendis versetur, ita ut ipsum carmen inde colorem ducat. Horatium igitur exiliter loquuturum fuisse, si intra unum versum et epos propter facta forte appellavisset et Pollionem laudasset, quod in tragoedia facta caneret. Haec quidem perquam speciose, attamen minus recte disputata sunt. Fatum sane primarium in tragoedia locum tenet, nec vero fata tragoediam constituunt, sed facta. Tragica enim et epica poesis in eo conveniunt, quod utraque *μίμησις σπουδαίων* est, ut ait Aristoteles A. P. 5. Maxime autem metro et oratione differunt idque Horatius, quum eum integram poesis tragicae definitionem proponere non oporteret, verbis *pede ter percusso* ex parte declaravit. Ceterum *forte epos* nihil est aliud quam *carmen heroicum, Heldengedicht* (cfr. Virg. Aen. I, 105. *fortia corpora* et notata ad Sat. I, 2,

36.), ita ut Horatius cantum Pollionis tragicum et Varii epicum sat dilucide distinxerit.

V. 64. sqq. Quid vetat, et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cenatus ——

Brevitate dictionis factum est, ut *ac si* non recte intellectum passim corrumperetur. Plena oratio haecce est: *quid vetat, vicissim nos quaerere, num Lucilii, num rerum satiricarum dura natura versus negaverit politiores et molliores quam* versus sunt eius, qui *eo solum contentus, in hexametri speciem aliquid redegisse, ducenos versus ante cenam et post cenam fundere soleat?* Cfr. Sat. II, 1, 54. sq. *mirum, ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos,* i. e. *mirum, ut* mirum est, quod *neque calce lupus neque bos dente quemquam petit.*

V. 69. sqq. Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis.

Horatius non multa, sed perpauca scribi volebat, quamobrem Lucilium nimium fluentem et hic et Sat. I, 4, 9. sqq. corripuit, ex abundantia negligentiam nasci existimans. Lucilium vero Cassius quidam Etruscus ingenii fervore etiam superavit, unde eum ab Horatio aliquanto etiam magis improbatum esse elucet. Nihilominus viri doctissimi Cassium Etruscum cum Cassio Parmensi, quem poeta olim commilito Epist. I, 4, 3. magnopere laudavit, certatim confuderunt. Quo etiam accedit, quod Cassius Parmensis tantummodo *opuscula* condidit, ergo ingenium rapido ferventius amni minime habuit. Insuper idem Cassius, ut eum concedamus etiam Etruscum dici potuisse, anno DCCXXIV u. c. solus de Caesaris percussoribus adhuc superstes, iussu Octaviani fortasse epistola illa, cuius Suetonius Octav. 4. meminit, maxime permoti Athenis capitis supplicio affectus neque scriptis suis ambustus est. Itaque Cassius Etruscus poeta longe alius erat isque Parmensi

longe antiquior, ut ex verbis *fama est* iam Heindorfius recte collegit.

V. 72. sqq. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba.

Rude carmen hic non est *impolitum, quod lima careat,* sed *incultum, adhuc indictum ore alio,* alioquin enim Horatius hoc fere effatus esset: *fuerit limatior idem quam carminis non limati auctor,* quod ei nemo imputaverit. Longe plus vero controversum videtur, utrum Ennius an Lucilius rudis et Graecis intacti carminis auctor nuncupatus sit, ab utraque parte patronis stantibus gravissimis. Ex meo iudicio Ennius significatus est errorque excellentissimorum virorum secus sentientium nonnisi ex v. 56. profluxit, ubi Lucilius *inventor* appellatus est. At eo loco Horatius de suo loquitur genere satirico, cuius sane Lucilius auctor fuit; hic contra de rudis et Graecis intacti carminis conditore, qui fuit Ennius. Distinguenda quidem sunt duo satirae Romanae genera, alterum Ennii et Pacuvii ex variis poematibus constans, alterum Lucilii idem metrum singulis in satiris servantis. Antiquius genus, sed non sola carminum varietate mixtum M. Terentius Varro, recentius post P. Terentium Varronem Atacinum atque quosdam alios Horatius exhibuit. Quocirca Lucilius, etsi primus laudem insignem in satira adeptus est, auctor tamen rudis et Graecis intacti carminis vocari non potuit. Quin ipsa etiam comparatio cum Lucilio recondito nobis ideo minus placet, quod a re rarissima minimeque vulgari, novi carminis inventione, repetita est neque bene concinit cum verbis sqq. *quamque poetarum seniorum turba,* quibuscum conferas Sat. II, 7, 36. *Mulvius et scurrae.* Cic. Tusc. IV, 5. *Chrysippus et Stoici.* Cuius generis plura composuimus ad Eur. Phoen. 963.

V. 76. Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum ——

H. e. *si aetas eius dilata foret.* Cfr. Ov. Tr. I, 3. extr. *absentem vivat,* i. e. *absentis aetatem,* quam eamdem in speciem dixit Iuvenalis XII. extr. *Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum.* Ipsas personas pro suis rebus frequentari iam monuimus ad Sat. I, 2, 101. *Altera nil obstat.*

Adde Sat. I, 1, 108. sq. *Nemo ut avarus se probet*, i. e. *suam sortem.*

V. 86. sqq. **Men moveat cimex Pantillius? aut cruciet quod**
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?

Pro vulgato *Pantilius* malim ex nonnullis Feae Cdd. *Pantillius* revocari, quippe nomen non minus Graecum est quam *Pantolabus* aliaque, quae ad Sat. I, 1, 95. attulimus. Mendax scholiasta Cruq. vilem poetam et male olentem aperte secundum vilitatem et malum odorem cimicis finxit, cui ridiculo mendacio dolemus passim fidem habitam esse. Ceterum verba ita expedienda sunt: *men cimex Pantillius moveat?* men *cruciet, aut quod Demetrius absentem vellicet, aut quod* etc. Similiter *aut* traiectum est Sat. I, 6, 122. sq. *post hanc vagor aut ego lecto aut scripto, quod me tacitum iuvet.*

V. 94. sq. **simul his te, candide Furni,**
Complures alios ——

Aliquot Cdd. *compluresque*, quod Heindorfius lenius ducens minus recte recepit, quoniam asyndeton recensionem quamdam aptissime abrumpit. Sic Sat. I, 1, 39. sq. *neque hiems, ignis, mare, ferrum, nil obstet tibi.* I, 2, 1. sq. *Ambubaiarum collegia, pharmacopolae, mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne.* Ibid. 98. sqq. *custodes, lectica, ciniflones, parasitae, ad talos stola demissa et circumdata palla, plurima, quae invideant, pure apparere tibi rem.* II, 1, 59. sq. *dives, inops, Romae, seu fors ita luserit, exsul, quisquis erit vitae, scribam, color.*

CONIECTANEA

IN

SATIRARUM LIBRUM SECUNDUM.

SAT. I.

V. 1. sq. Sunt, quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus ——

Quamvis Horatio multis cum obtrectatoribus et calumniatoribus propter restauratam poesin satiricam vehementius conflictandum fuisset, iudicio tamen amicorum tam nobilissimorum quam doctissimorum (v. Sat. I, 10. extr.) confisus Satirarum libro primo non veritus est alterum addere. Verumtamen se suumque genus satiricum ineunte hoc libro denuo defendere non supersedit. Hanc quidem defensionem, quae sermone cum C. Trebatio Testa, qui iurisconsultus erat excellentissimus, instituto quasi forensis instar accepit, auctores videntur non infimi provocasse, familiari suo cum acerrimis adversariis decertanti, ut plane abiiceret poesin satiricam, suadentes easdemque fere interserentes causas, quas Trebatius severius protulit, Horatius vero tam facete redarguit, ut haec Satira in venustissimis numeranda sit. Eius autem annus natalis incertissimus est, nam licet illa, quae v. 13. sqq. dicta sunt, secundum v. 11. ad Caesaris invicti res gestas neque ficticias referenda sint, tamen hinc non magis quam aliunde de aetate huius sermonis certius quidquam computare possumus. Quod Heindorfius ad v. 15. ait, *dass aber diese Satire schon vor dem J.* 727 *geschrieben ist, lehrt der Name Caesar V.* 11.,

hoc excidit aliud agenti, etenim post illum annum Horatius nomen Caesaris non modo non abiecit, sed etiam plus quam nomen Augusti frequentavit.

V. 1. altera Cdd. pars *videor*, altera *videar* tuetur, quae lectionis varietas frequenter reperitur, e. c. Sat. I, 2, 28. I, 4, 75. I, 6, 4. Epist. I, 6, 5. II, 2, 182. Nec facile semper diiudices, num indicativus an coniunctivus sincerus sit, quum uterque modus plane idem declarare videatur, velut Epist. II, 2, 128. sqq. *Fuit haud ignobilis Argis, qui se credebat miros audire tragoedos in vacuo laetus sessor plausorque theatro, cetera qui vitae servaret munia recto more, bonus sane vicinus, amabilis hospes, comis in uxorem, posset qui ignoscere servis et signo laeso non insanire lagenae, posset qui rupem et puteum vitare patentem.* Nempe formula *est* vel *sunt*, *qui* ubique aut genus aut speciem designat, quare *is*, *ille*, *talis* similiaque cogitatione suggerenda sunt. Post haec vero vocabula pronomen *qui* multo crebrius coniunctivum quam indicativum adsciscit, unde factum, ut perinde post *est* vel *sunt*, *qui* longe saepius coniunctivus quam indicativus poneretur, nullo discrimine significationis intercedente. Attamen Horatius indicativum in hac formula coniunctivo aliquantum praetulisse videtur (cfr. Carm. I, 1, 3. sqq. 19. sqq. I, 7, 5. Sat. I, 4, 24. II, 4, 47.), quapropter *videor*, quum pari omnino MSS. auctoritate communitum sit ac *videar*, coniunctivo nonnihil probabilius est.

V. 2. nonnullae membranae *intendere* habent, praepositione *in* ex praecedente littera *m* prognata, ut saepissime alibi. Indicat vero *ultra legem tendere opus* solummodo *ultra legem* suam *tendere opus*, i. e. *satirae modum excedere.*

V. 7. verum nequeo dormire.

H. e. *non possum dormire prae versibus faciendis.* Simile est illud Iuvenalis I, 77. sq. *Quem patitur dormire nurus corruptor avarae, quem sponsae turpes et praetextatus adulter?* Cfr. Hor. Epist. II, 1, 111. sqq. et Cic. Tusc. IV, 19.

V. 13. sqq. neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

Urbanior est coniunctivus *describat* quam v. l. *describit*, quae a Bentleio maxime propter Epist. II, 3, 263. *Non quivis videt immodulata poemata iudex* recepta est. Cui opponas Sat. II, 4, 35. *nec sibi cenarum quivis temere arroget artem* et quae ad Sat. I, 4, 70. exposuimus.

V. 21. sqq. Quanto rectius hoc quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,
Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit!

Si haec Horatii essent verba, eum de industria v. 22. poesi suae satiricae multum detrahere suspicari posses; at Trebatio satira Horatiana res minime tam levis videbatur, ut eam arbitrari posset solum in Pantolabo scurra Nomentanoque nepote proscindendo consistere. Itaque hoc iudicium non Horatium, sed eum potius auctorem habere putamus, qui verbum *laedere* nonnullis, quos desideraret, accusativis exornaturus sine ambagibus *Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem* ex Sat. I, 8, 11. accivit. Quo emblemate a mente Trebatii alienissimo etiam illud incredibile nobis narravit, scurra quodam et nepote vellicato totam Romam in timorem coniectam atque Horatium odio persequutam esse. Eiice ergo versum insiticium, quo facto Trebatii responsum optime habebit.

V. 28. sqq. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque si male gesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

Melioris ad generis nobilitatem revocari solet, quod Lucilius Pompeii Magni avus vel magnus avunculus factus sit; sed mortuus haud dubie generositatis supplementum non amplius accepit et si accepisset, id Horatius, ut ex Sat. I, 6. abunde perspicies, nihili aestimaturus fuisset. Proinde *melioris* de moribus intelligas, ut Sat. I, 3, 32. I, 10, 4. al.

V. 31. aliquot membranae *cesserat* pro vulgato *gesserat* exhibent. Illud Bentleius longe praetulit, hanc sententiam extra omnem, ut autumat, reprehensionis aleam con-

stituens: *nusquam alio praeterquam ad libros decurrens, seu bene ei cesserat in scribendo seu male.* Sed *in scribendo* suppleri nequit et si posset suppleri, permirum evaderet hocce dictum: illi quidem auctori, cui in scribendo usquequaque bene cedat, arcana sua litteris consignare permissum esse, Lucilio tamen propter ancipitem scribendi processum a consuetudine res suas arcanas libris committendi abstinendum fuisse. Pariter vero improbo, quem alii vv. dd. invenerunt explicatum: *sive quid ei male evenerat sive prospere, chartis suis committebat.* Unde enim *quid* petendum sit? Neque de fortuna Lucilii, sed de moribus agitur. Qua de causa verbum *gesserat* locum suum obtinere debet, simpliciter illud quidem ad *arcana* adaptandum, sicut *gerendi* ad *res* ap. Cic. Fin. V, 19. *maxime — eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute.*

Pro vocabulo *usquam* plurimi Cdd. *umquam* offerunt, quo temporis notio minus commode infertur. Acerrimo contra Lucilii studio nonnisi libris arcana sua credendi vulgatum *usquam alio* quam maxime congruum est. Maioris autem momenti esse videtur, quod verba *quo fit, ut omnis votiva pateat veluti descripta tabella vita senis* nondum recte enodata sunt. Solent scilicet vv. dd. hunc locum pro documento habere, Lucilium, qui Eusebio teste annum aetatis quadragesimum sextum non excessit, senem obiise. Quod si verum esset, Lucilium etiam senem adhuc satiras scripsisse necesse foret. Ut hoc concedamus, tamen in Lucilii satiris omnem tantum vitam *senis* patuisse non possumus non negare. Nec talia Horatius memoriae prodidit, sed id potius, in Lucilii satiris omnem vitam *sicuti senis in tabula votiva descriptam* patuisse. Ex qua comparatione, cuius tertium est par Lucilii et senis garrulitas, contra plane quam vv. dd. senserunt, necessario sequitur, Lucilium nec senem satiras fecisse neque senem esse mortuum, quum omnem suam vitam minime senex, sed veluti senex in satiris retulisse dictus sit. Tantum igitur abest, ut nostro loco testimonium Eusebii circa aetatem Lucilii refutetur, ut veri reddatur simillimum. In constructione vero verborum poetam patet vestigia Graecorum perse-

quutum esse. Cfr. Soph. Trach. 767. sqq. *καὶ προσπτύσσεται πλευραῖσιν ἀρτίκολλος ὥστε τέκτονος χιτὼν ἅπαν κατ' ἄρθρον* Aristoph. Pac. 234. sq. *καὶ γὰρ ὥσπερ ᾐσθόμην καὐτὸς θυείας φθέγμα πολεμιστηρίας*, i. e. *φθέγμα ὥσπερ θυείας πολεμιστηρίας*

Similiter comparatione non animadversa critici etiam clarissimi lapsi sunt in Epist. I, 5, 10. sq. *impune licebit aestivam sermone benigno tendere noctem.* Quae verba quum Horatius mense Septembri extremo scripserit, eum noctem autumnalem aestivae tantum aequiparasse utique necesse est. Quocirca *aestivam* nihil potest aliud declarare quam *tamquam aestivam*, omissa uti creberrime comparandi particula. Cfr. Epist. I, 15, 21. *quod me Lucanae iuvenem commendet amicae.* Ov. Tr. IV, 6, 22. *mensque mali sensum nostra recentis habet.*

V. 47. sqq. Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum,
Grande malum Turius, si quid se iudice certes.

Interpretes *Albuti* partim cum nomine *Canidia*, partim cum vocabulo *venenum* consociant. Neutrum recte. Nempe *Canidia Albuti* haud levi obscuritatis vitio laborat, quia Canidiam aut uxorem aut filiam aut amicam Albuti fuisse ex re nulla clarescit. Neque lucet, cur h. l. Canidia *Albuti* nominata sit, quum alibi eam Horatius semper simpliciter Canidiam nuncupaverit. V. Epod. III. V. XVII. Sat. I, 8. II, 8. Nec magis vero complectendum est *Albuti venenum*, nam quid hoc venenum ad Canidiam? Cur tandem Canidia venenum Albuti minitata sit neque ipse Albutius? Cuncta tamen impedimenta facili negotio removemus, si *Albuti* in locum vocativi restituimus, missis quidem quisquiliis, quas circa Albutium insani scholiastae et h. l. et ad Sat. II, 2, 67. confinxerunt.

In v. 49. minoris faciendae sunt vv. ll. *si quis* vel *si quid se iudice certet* quam ipsa verborum sententia. Lepide enim poeta demonstrat, suis quemque se armis defendere; attamen quam concinna sunt exempla Cervii *irati* et Canidiae *inimicae*, tam inconcinnum est specimen tertium *grande malum Turius, si quid se iudice certes*, nulla Turii *offensi* mentione iniecta. Quae quum nullo pacto abesse possit, fac mecum corrigas: *si quid sibi iudice certes*, quod

non concoquentes librarii pro consuetudine ad Sat. I, 2, 125. notata in *se iudice* transformarunt. De dativo *sibi*, si tanti est, cfr. Epod. II, 20. XI, 18. Sat. II, 3, 313. II, 5, 19.

V. 53. sqq. Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera, mirum,
Ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos;
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

Verba intermedia *mirum, ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos*, quae oxymoron continent Horatio haud inusitatum, iam ad Sat. I, 3, 25. et I, 10, 67. explanavimus. Bentleius substitui voluit *mirum*, ni vel si *neque*, Horkelius *mirum*, at *neque*, Meinekius nimirum *ut neque*, quarum emendationum postrema longe elegantissima est.

V. 57. sqq. Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit, exsul,
Quisquis erit vitae, scribam, color.

Pro vulgato *iusserit* Fea ex aliquot membranis *luserit* recepit, quod nonnulli quoque alii critici adoptarunt. Orellius hoc verbum negat eam auctoritatem habere, quae in tam gravi mutatione requiratur. Exiguum sane hic membranarum pondus est, sed maximum ipsius enuntiationis. Prout scilicet poeta aut *iusserit* aut *luserit* dixit, exsilium ei aliquid aut gravius aut levius videbatur. Non restinguendo autem suo scribendi amori res omnes postposuit, nec diversissimas vitae conditiones flocci aestimavit, quare etiam exsilium rem duxit leviorem, nec magis a domicilio urbano distinxit quam divitias ab inopia et tranquillam senectutem a morte maturiore. Unde verbum *luserit* genuinum esse elucet.

V. 60. sqq. O puer, ut sis
Vitalis, metuo et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Facetissimum Trebatii responsum interpretes egregie perverterunt. Puerile est Acronis inventum: *ne cito pereas, metuo, nam te potest quicumque maiorum a te lacessitus occidere.* Nempe *frigore te feriat* opinabatur significare

morte te afficiat, quae frigida est. Aliis Trebatius timuisse videtur, ne Horatius gratia maiorum amicorum perdita mox pessumdaretur, quamquam nec gratiae nec maiorum amicorum ulla mentio reperitur. Aliorum iudicio Trebatius veritus est, ne poeta omnes irritando tot tantasque caperet molestias, ut tam ingratam vitam ipse detestaturus esset. At vitae ingratae detestationem pro ipso interitu non licet sufficere, nec ea detestatio cum frigore amici alicuius maioris bene conciliari potest. Etenim verbis *maiorum ne quis amicus frigore te feriat* nonnisi praemissum *ut sis vitalis* amplius illustratur. Toto autem hoc sermone non de Horatii persona, sed de satirico tantum poeta disceptatur. Quapropter Trebatius instantem, quam metuit, mortem non ipsius Horatii, sed satirici solum scriptoris dixit, haec omnino reponens: *dubito, puer, te acerrimum tuum satiras pangendi studium diu persequuturum esse, frigore quidem amici alicuius maioris de proposito depulsum.* Huc igitur tota ista causa capitalis redit. Ille vero *maiorum amicus* a Trebatio indicatus nobis videtur Caesar fuisse, quae opinio contrario iudicio de Caesare ab Horatio v. 84. facto non minimum corroboratur.

V. 79. Equidem nihil hic diffidere possum.

Ad verba Horatii *quidquid sum ego, quamvis infra Lucili censum ingeniumque, tamen me cum magnis vixisse invita fatebitur usque invidia et fragili quaerens illidere dentem offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati, dissentis* Trebatium respondentem necesse erat aut consentire aut dissentire. Consensit vero, quum dissentire non posset, extremis Horatii verbis modo negativo repetitis. Quare omnium vv. ll. *diffindere, diffingere, diffigere, diffidere, diffundere, defindere, defingere, defringere* ea maxime est probabilis, quae idem omnino ac *dissentire* valet. Ex cunctis autem solum verbum *diffidere* dissensionem denotat, quamobrem id sincerum censemus, praesertim quum eodem significatu apud Lucretium inveniatur, quem Horatius saepe imitatus est. Idcirco tamen *his* pro *hic* Bentleio auctore non supponam, quoniam *hic diffidere* non minus est probum quam *diffidere* cum ablativo constructum. De sententia cfr. Cic. Tusc. I, 23. extr.

V. 82. sqq. Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque. Esto, si quis mala; sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare, si quis
Opprobriis dignum latraverit integer ipse?

Perperam plures interpretes Horatium volunt *mala carmina* de industria secus intellexisse et ad vitiosa atque inepta retulisse. Ergo ius iudiciumque, de quo unice disseritur, poeta etiam ad vitiosa atque inepta carmina detorquere potuerit? Dixit perinde ac Trebatius *carmina famosa*, ut ex oppositis carminibus bonis patet. Cfr. Epist. II, 1, 152. sqq. *quin etiam lex poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam describi.* Error autem interpretum inde exstitit, quod verbum *laudatus* non recte percipiebant, unde etiam v. l. *laudatur* provenit. Construunt enim *laudatus iudice Caesare*, aut ad *laudatus* mente adiiciunt *ab eo.* Aperte vero *laudatus* insequenti *integer* respondet ac vice fungitur adiectivi valetque *laude dignus.* Cfr. Sen. Epist. 102. *Quum tragicus ille apud nos ait, magnificum esse laudari a laudato viro, laude digno ait.* Mart. III, 53, 5. *Praemia laudato tribuit mihi Caesar uterque.* Ergo ordo verborum hic est: *sed si quis laudatus condiderit bona iudice Caesare, si quis ipse integer latraverit opprobriis dignum?* Sed vulgato *latraverit* cum Bentleio *laceraverit*, quod nonnulli MSS. servarunt, ideo anteferendum est, quia satiricus poeta non *latrat*, sed *ridet.* Praeterea latratus res est inanis nec ullum habet effectum, nisi quod ipsum latratorem dehonestet.

V. 86. Solventur risu tabulae, tu missus abibis.

Valde variis rationibus vv. dd. verba *solventur risu tabulae* explicare studuerunt. Gesnerus eventum iudicii, in quo Epaminondas (v. Nep. 8.) causam dicebat, contulit et *tabulas* cogitavit tabellas iudiciarias esse, *solvi* (i. e. *frangi*) *risu subsellia* pro comica hyperbole habens. Heindorfius, non comprehendens is quidem, uti *tabellae iudiciariae* risu frangi possint, Trebatii responsum ita resolvit: *es wird sich ein solches Gelächter erheben, dass davon* die Breter *aus einander gehen.* Alii alia dicta invenerunt. Nobis severus Trebatius nihil omnino ridiculi immiscuisse, sed potius et ad sanctas, quas modo minitatus erat, leges et ad

satirae genus ab Horatio contrapositum respiciens simpliciter respondisse videtur *solventur risu* tuo *tabulae*, h. e. *satira tua leges resolventur* seu *rescindentur*. Idem designat *risus* Sat. I, 4, 34. Ceterum omissum prononomen possessivum interpretes et alibi fallebat, e. gr. Carm. III, 23, 17. *Immunis aram si tetigit manus*, sc. *tua*.

SAT. II.

V. 2. Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus ——

Plurimi MSS. *quem* offerunt, quod modo accommodationi ad nomen *sermo* originem debere veri non dissimile est, etiamsi *praecipere sermonem* nobis non peius videtur quam *praecipere cantus* (Carm. I, 24. in.), neque sententia existit incommoda: *nec meus hic sermo est, sed praeceptoris Ofelli*, quam in speciem etiam auctor huius formulae Euripides Menalipp. fragm. 6. dixit οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα. Pronomine *quae* usus poeta hoc effatus est: *nec meus hic sermo est, sed praecepta Ofelli*, quocum contende Eur. Hel. 520. λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς, σοφῶν δ' ἔπος.

V. 14. sq. Quum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem ——

Varia lectio *extulerit* ex mendo scripturae, sed *expulerit* e glossemate prodiit, nam quod asseveravit Bentleius, ubique verbum *extundere* tantummodo vim habere inveniendi, acquirendi, impetrandi, extorquendi, in eo desideramus circumspectionem. Scilicet aliud est *rem iam praesentem extundere*, aliud *rem nondum praesentem extundere*. Alterum significat *tundendo removere*, alterum *tundendo promovere*, qua diversa ratione etiam verba *excutere*, *exprimere*, *exterere* aliaque passim usurpantur. Itaque Horatius *extundere fastidia* aeque recte dixit ac Seneca Epist. 119. *fastidium excutere*. Neque mutem, si solus dixerit, nam rectissime iam Gesnerus ad Sat. I, 4, 26. nos commonefecit: „Si singularia omnia et semel tantum observata damnamus et emendamus: ilicet, quantam partem Latinitatis abolebimus?“

V. 27. sqq. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? Cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa:
Imparibus formis deceptum te patet.

Versus 29. Horatianus quidem esse videtur, sed malo profecto astro natus, namque qui eo sit magis vexatus, vix ac ne vix quidem reperias. Haud pauci vv. dd. eum ad quaestiones praegressas adiungunt et *vesceris* ex v. 27. supplent, proinde quasi alteram interrogationem *(cocto num adest honor idem?)* sicco pede transire possimus. Quod si fieri posset, primum aliis etiam exemplis quam Carm. I, 13, 20. *suprema citius* —— *die* et IV, 14, 13. *plus vice simplici* evincendum foret, Horatium *hac magis illa vesceris* pro *hac magis quam illa vesceris* dixisse, quippe illa loquendi ratio non ita rara est. Sic Nepos Them. 5. *minus diebus triginta in Asiam reversus est.* Iuvenalis VI, 119. *comite ancilla non amplius una.* Insuper autem ipsa sententia *carne tamen hac magis quam illa vesceris* post antegressam longe graviorem *vix tamen eripiam, posito pavone velis quin hoc potius quam gallina tergere palatum* vehementer languet, quod idem in Xylandri emendationem quam vis cadit, quae ceteroqui alias etiam ob causas prorsus futilis est. Nova tamen lux misero nostro versiculo affulgebat, quum a duobus vv. dd. eodem ferme tempore nomen substantivum *magis* longissimum per tempus reconditum inveniretur. Verum apodosis *imparibus formis deceptum te patet* protasin non concessivam *licet carne lanx illa ab hac nihil distet*, sed causalem requirit. Cave vero, ne *quoniam* pro *quamvis* supponas, quia nec hac neque alia medicina [illegible] est, si modo *quamvis nihil*, i. e. *admodum nihil*, copulas [illegible] v. 30. voculam *igitur* supples, uti Sat. I, 4, 69. sq. *Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum, non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?* I, 9, 33. sq. *Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces, si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.* II, 5, 90. sq. (109. sq.) *Difficilem et morosum offendet garrulus: ultro non, etiam sileas.*

V. 38. Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.

Varia lectio *rari* ab Acrone memorata nobis vulgatae *raro* antestare videtur, quoniam stomachus *raro ieiunus*

etiam hominis voracis est, qui vulgaria non temnit. Contra stomachus *rari ieiunus* (sive *avidus*) vulgaria temnere solet. Cfr. Cic. Orat. 30. *Ieiunas igitur huius multiplicis et aequabiliter in omnia genera fusae orationis aures civitatis accepimus.*

V. 54. sq. nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris.

Bentleius, plurimum verba minus interna quam externa considerans, ex uno Cd. secundum Sat. I, 4, 79. et II, 7, 71. *pravus* recepit et *pravum* adeo falsum existimavit, quod ad aliud vitium se detorquens iam tum pravus perhibeatur, antequam illuc se detorserit. Imo *pravum* pravitatem indicat futuram, *pravus* praesentem. Cfr. Sat. I, 4, 118. sq. *vitam famamque tueri incolumem.* I, 10, 79. *vivos et roderet ungues.* II, 6, 106. *purpurea porrectum in veste locavit.* Epist. I, 20, 21. *maiores pennas nido extendisse.* Carm. III, 16, 19. *late conspicuum tollere verticem.* III, 23, 1. *Coelo supinas si tuleris manus.* IV, 9, 30. sq. *Non ego te meis chartis inornatum silebo.* IV, 13, 24. sq. *servatura diu parem cornicis vetulae temporibus Lycen.*

V. 82. sqq. Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni et tractari mollius aetas
Imbecilla volet.

Ubique itidem coniunxit poeta, ut Sat. II, 6, 60. *quandoque.* Bentleium ambiguitas vocabuli *ubique* offendebat, sed non perinde *quoque* Epist. I, 18, 68. Idem in v. 85. *et* levi Cdd. auctoritate munitum inseruit, quod Orellio iudice propter ipsum totius orationis tranquilliorem tenorem retineri debet, quum asyndeton falsam quamdam δεινότητα et quasi festinationem inferret. Nos tarditatem aggredientis senectutis ipso metro adumbratam copula *et* abiecta melius servari censemus quam eadem inserta. Ac nulla omnino suppetit causa, cur eam admodum expetas. Cfr. Sat. I, 1. in. (108. sq.) *Qui fit, Maecenas, ut nemo —— contentus vivat, laudet diversa sequentes?* I, 2, 84. sq. *nec, si quid honesti est, iactat habetque palam, quaerit, quo turpia celet.* I, 3, 70. sq. *cum mea compenset vitiis bona, pluribus*

hisce —— *inclinet.* I, 4, 33. *omnes hi metuunt versus, odere poetas.* Ibid. 137. sqq. *Haec ego mecum compressis agito labris, ubi quid datur oti, illudo chartis.* I, 9, 12. sq. *quum quidlibet ille garriret, vicos, urbem laudaret.* Ibid. 65. sq. *Male salsus ridens dissimulare, meum iecur urere bilis.* II, 3, 82. sq. *Danda est ellebori multo pars maxima avaris, nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

V. 96. sqq. **Adde**
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
As, laquei pretium.

Maior MSS. pars *aes* tutatur, quod vereor ne Bentleio praeeunte iniuria expulsum sit. Hinc certe, quod Lucianus laqueum *obolo*, Plautus *drachma* emendum dixit, nondum efficitur, Horatium *as, laquei pretium* scripsisse. Imo nomine *aes* nihil inveniatur integrius. Quum enim as permultarum rerum pretium haberet, quid ista definitio *laquei pretium* sibi velit, haud facile dispicias. Quin *as*, certus ille nummulus, omnino non definiendus erat, sed *aes* potius propter summam prorsus incertam. Quocirca restitui debet *aes laquei pretium,* h. e. *aes, quanti laqueus constat.* De definitione *laquei pretium* adhibe Virg. Aen. IX, 486. sq. *nec te tua funera mater produxi.* Ov. Amor. III, 9, 5. sq. *Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus ardet in exstructo corpus inane rogo*, quocum loco conferas Epigr. ap. schol. ad Aristoph. Ran. 1065. ***Εὐμόλπου φίλον υἱὸν ἔχει τὸ Φαληρικὸν οὖδας, Μουσαῖον φθίμενον σῶμ' ὑπὸ τῷδε τάφῳ.*** Egimus de hoc genere iam ad Eur. Phoen. 1271. et ad Soph. Ai. 1062.

V. 123. **Post hoc ludus erat culpa potare magistra ——**

Infinitivus *potare* loco nominis substantivi fungitur, sicut Carm. III, 24, 24. *peccare nefas aut pretium est mori.* Significat ergo *culpa potare magistra* nihil amplius quam *ubi magistra erat potatio culpa,* quod parsimoniae Ofelli unice congruit. Oxymoron attigimus ad Sat. I, 3, 25.

V. 127. sqq. **Quanto aut ego parcius aut vos,**
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam proprie telluris herum natura neque illum
Nec me nec quemquam statuit ——

Pervagatam Horatius recoluit sententiam, nos nihil usu

capere posse, sed modo usumfructum habere, de qua praeter Cic. Harusp. Resp. 14. et Sen. Consol. ad Marc. 10. videsis Hor. Epist. II, 2, 175. sq., quo loco, ut hoc tangam, *alterius* est *alterius heredis*, quare idem vocabulum minime abundat. Itaque nomina *incola* et *herus* pariter sibi opposita sunt atque *dominus* et *colonus* apud Senecam Epist. 88. *Non dominus isto, sed colonus intrasti.* Perperam igitur plurimi librarii in v. 129. *propriae* invexerunt, quod qui defensuri erant, non debebant v. 134. talesque locos in partem vocare, in quorum nullo *propriae alicuius rei herus* legitur. Est *herus telluris*, cui tellus est *propria* seu *in perpetuum obtinenda*, quapropter *propriae telluris herum* scribis quidem, nec tamen Horatio permittam.

SAT. III.

V. 1. sqq. Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet?

Inertiam suam Horatius hoc loco similiter increpat atque Epod. XIV. princ. Scilicet ex urbe in villam Sabinam sese recepturus scripserat Sat. II, 6, 16. sq. *Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi, quid prius illustrem satiris musaque pedestri?* Sed multa et praeclara pollicitus iam longius per tempus fidem fefellerat. Unde patet, quam absurdum sit futurum *scribes*, quod ex vulgari temporum confusione in nonnullis MSS. exaratum est. Neque vero v. l. *si* nobis hic conveniens videtur. Namque introitus sermonis perspicue colorem quemdam patheticum habet vel ipsa metri specie sat expressum, qui particula *si* suffecta prorsus perditur, quum inde orationis genus prodeat tritissimum. Contra *sic* illud in precationibus usitatissimum (v. Lambin. ad Carm. I, 3, 1.) una cum spondeis aretalogi expostulationem non illepide sollemnem reddit. Similis lepos inest in initio Sat. II, 8. *Ut Nasidieni iuvit te cena beati?* Ceterum verbi *scribis* brevis syllaba arsi producta, si est tollenda, transpositione (sic scribis raro) facillime tollatur. Certe eam qui oritur hiatus non vetat.

V. Sat. I, 1, 108. Meinekio tu post *scribis* inserendum videtur.

V. 4. sqq. At ipsis
Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis ——

Varia lectio *ab ipsis* ex eodem evasit librariorum errore, unde Sat. I, 6, 87. *ad hoc* et Sat. II, 6, 54. *ad omnes* pro *at hoc* et *at omnes* exstitit. Magis de eo disceptari posse videtur, utrum *sobrius* ad *fugisti* an ad *dic* pertineat. Sed si praemissum opprobrium *(quod vini somnique benignus nil dignum sermone canas)* respexeris, ei provocationem *sobrius ergo dic aliquid dignum promissis* contrapositam esse vix ambiges. Postquam enim Damasippus in Horatium Romae desidentem et vino somnoque indulgentem invectus est, ad eiusdem vitam rusticam sese convertit, quam quodammodo incusationem suam retractans ex eo colligit sobriam esse, quod poeta ipsis saturnalibus, ebrio ac vomitante populo Romano, rus fugerit. Sobrium autem aretalogus arbitratur facultatem rite cantandi recuperasse, quam vino somnoque deditus perdiderit. Idcirco cum eo in desidia perseverante de multis et praeclaris promissis expostulat. Contra coniunctio verborum *at ipsis saturnalibus huc fugisti sobrius* minus est laudabilis, quia supplementum *inquis* altius repetendum est atque solis in verbis *at ipsis saturnalibus huc fugi sobrius* tota Horatii oppositio, si iam esset adversatus, haud dubie non constitisset. Neque *fugisti* adiectivum *sobrius* exigit, siquidem ebrius fugere non solet.

V. 11. sq. Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum comites educere tantos?

Recensentur auctores, quos Horatius praecipue versabat. Eorum princeps est Plato, cui Menander, Eupolis, Archilochus adiunguntur. Itaque mittenda est v. l. *Archilocho*, utpote quae unam auctorum seriem male dividat in duas. Ceterum Platonem intelligo philosophum, quoniam Satirae, de quibus faciendis aretalogus agit, pariter atque Epistolae Horatii plus minusve sermones sunt Socratici, quibus ipse se madere dixit Carm. III, 21, 9. sq., ubi quidem

non *ille*, sed *ipse* (i. e. *herus*, sicut Sat. II, 8, 23.) relegendum existimo, etenim *ille*, i. e. *Corvinus*, piam testam, quam iussit descendere, non poterat horridus negligere. Eamdem emendationem iam in dissert. de aetate poematum Horatianorum a R. Bentleio inventa p. 22. in mente habebam.

V. 27. sqq. Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore,
Ut lethargicus hic quum fit pugil et medicum urguet.

Varia lectio *capitisque* a Bentleio, qui Sat. II, 2, 84. similiter egit, incaute exagitata est. Cfr. Sat. I, 4, 115. sq. *Sapiens, vitatu quidque petitu sit melius, causas reddet tibi.* II, 1, 67. sq. *aut laeso doluere Metello famosisque Lupo cooperto versibus?* Totum autem illud exemplum *in cor traiecto lateris miseri capitisque dolore* nonnemini videatur claudicare, quia *traiectus* morbus ne novus quidem, nedum mire novus est, nam qui traiicitur morbus dumtaxat sedem nec genus mutat, quamobrem denuo idem neque novus aut adeo mire novus comparet. Si igitur lateris capitisque dolore in cor traiecto καρδιαλγία exoritur, hoc rei plane consentaneum nec ullo modo mirum videtur. Sed quum recentiore demum aetate accuratius exploratum et constitutum sit, quid sit morbi traiectio, error ille Horatio eo magis est condonandus, quod vel clarissimi medici morborum μετάστασιν et μεταβολήν crebrius confuderunt. Ceterum *mire novus* non tam ipsi Horatio tribui debet quam Damasippo, cuius cum tumido sermone perbene concinit, quam ob causam nihil censeo corrigendum esse.

V. 30. pronomine *hic* non aliter quam v. 23. et 162. exemplum proponitur, neque ficto quodam Damasippi gestu indigemus. Cfr. Epist. II, 2, 67. sqq.

V. 43. sq. Quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri
Caecum agit ——

Varia lectio *quaecumque* non maioris est ponderis quam *propriae telluris* Sat. II, 2, 129. et sexcenta alia, quae rudes librarii confinxerunt. Bene Meinekius simplex *cumque* pro duplici positum esse animadvertit, cuius generis Horatius plura habet analoga, e. c. simplex *sive* (Sat. II, 5, 10.

II, 8, 16. Carm. I, 3, 16. I, 6, 19. I, 15, 24.), *alter* (Sat. I, 8, 30. II, 8, 10.), *in* (Carm. III, 25, 2.), alia. V. Gesn. ad Carm. II, 8, 3. Quum vero in tali oratione *et* omitti soleat (v. Epist. II, 3, 227. Epod. XVI, 21. Sat. II, 3, 77. sqq.), Meinekius simul correxit *quem mala* stultities, *quemcumque inscitia veri* etc. Item malis *et* abesse v. 313. *tanto dissimilem et tanto certare minorem.* Sed cfr. v. 231. sq. *quidquid mihi, quidquid et horum cuique domi est, id crede tuum.*

V. 53. sqq. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes fluviosque in campo obstare queratur;
Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignes
Per medios fluviosque ruentis.

Alterum ruentis est *alterum genus stultitiae ruentis.* Abstractum pro concreto positum mire fefellit Heindorfium ita interpretantem: „*ruentis* sc. *hominis.* Schon bei *queratur* V. 55. schwebte aus stultitiae V. 54. ein einzelner stultus vor.“ Ecquid poetae *stultitiae timentis* perscribenti obversatum sit? De numerosis exemplis similibus cfr. Cic. Tusc. V, 18. *ut stultitia, etsi adepta est quod concupivit, numquam se tamen satis consequutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam umquam sui poenitet.* Hor. Sat. II, 1, 76. sqq. *invita fatebitur usque invidia et fragili quaerens illidere dentem offendet solido.*

V. 57. sqq. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor:
Hic fossa est ingens ——

Qui *amica* ab nomine *mater* seiungebant, illos saltem *honesta* cum hoc nomine consociare oportebat, ut meretrix et mater honesta sibi opponerentur. At meretrici inter cognatos nullus est locus, quapropter *amica* ad *mater* applicamus, ut sit *comis, benevola,* quod epitheton non minus idoneum ducimus quam sequens *honesta,* i. e. *formosa,* ut Sat. I, 2, 84. Secus visum est Horkelio anal. Hor. p. 40. sqq., quare correxit amica.

V. 60. sq. Non magis audierit quam Fufius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit ——

H. e. *Ilionam edormiens,* velut v. 277. *quum praecipitat*

se. Sat. I, 5, 20. sq. *nil quum procedere lintrem sentimus.* II, 6, 101. sq. *quum ponit uterque in locuplete domo vestigia.*

V. 87. sqq. Sive ego prave
Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi. Credo,
Hoc Staberi prudentem animum vidisse.

Clausula testamenti Staberii vulgo sic distinguitur: *sive ego prave seu recte, hoc volui: ne sis patruus mihi,* i. e. *sive prava seu recta est, haec mea voluntas: ne severius de me iudica.* Quo in additamento voluntas Staberii res est superior, inferior et appendiculae instar deprecatio iudicii de illa voluntate severioris. Verumtamen Staberii non tam interesse poterat voluntatem suam denuo testificari quam censuram eius severiorem deprecari; neque *ego* in vulgata clausulae distinctione habet, quo pertineat, sed prorsus abundat. Proinde haec verborum copulatio longe praestet: *ne sis patruus mihi, sive prave seu recte ego hoc volui.*

V. 89. Heindorfius *hoc* ad reprehensionem ab prudente Staberio provisam spectare voluit. Contra Horkelius anal. Hor. p. 102. sqq. post *vidisse* signum interrogandi apponi maluit, ut Damasippus secum solo loquatur ipseque se interroget, num credibile sit, avarum hominem una tamen in re prudentem fuisse, quod quum sibi persuadere nequeat, rursus interroget, quid tandem illum moverit. Facile sane verbis insequentibus *quid ergo sensit* ad credendum induci possumus, negationem quamdam praegressam esse, ita ut post *hoc* negatum *quid* alternantis sit. Attamen verba *vidisse* et *sensit* tantopere differunt, ut altera quaestio *(quid ergo sensit?)* in locum alterius *(credo, hoc Staberi prudentem animum vidisse?)* suffici non possit. Tum Damasippo Staberii prudentiam testamenti clausula clare contestatam vix ulla ratione in dubium vocare licuit, nec habes causam, cur verbum *credo* sollicites, dummodo ironicum accipias. Ceterum *vidisse* hic non valet *curasse,* ut Heindorfio placuit, sed *cavisse,* quod legimus Carm. III, 5, 13. *Hoc caverat mens provida Reguli.*

V. 111. sqq. Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris ——

In nonnullis Cdd. *sacrum* pro *granum* exstat ex v. 110. repetitum, nec iniuria iudicat Meinekius, ex eodem versu etiam *contingere* huc immigrasse, quum verba breviore intervallo iterare non sit elegantis Horatii. Itaque eidem viro doctissimo constringere vel aliud huic simile rescribendum videtur. Fortasse poeta contundere exhibuit.

V. 117. sqq. age, si et stramentis incubet unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca ——

Numerus *unde octoginta* criticis vehementer displicuit, neque eum infitior talem esse, in quo perfacile haerere possis. Pro *unde* igitur Horkelius udis, Meinekius usque proposuit, quibus emendationibus quispiam ille addere queat. Nescio autem an nulla sanatione opus sit, nam singulari illo annorum numero facile poeta hominem quemdam perversum indigetasse potest, quem nominare aut non voluit aut non potuit. Non dissimili modo dixit Iuvenalis VI, 192. sq. *Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus pulsat, adhuc Graece?*

V. 127. Si quidvis satis est ——

Non minus quam h. l. *quidvis* integrum est Epist. I, 15, 17. *Rure meo possum quidvis perferre patique*, i. e. *quidvis vinorum*, ut sequens *generosum et lene* manifestat.

V. 128. sqq. Populum si caedere saxis
Incipias servosve, tuo quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae ——

Vulgatum *tuos* nil nisi scribarum mendum pervagatissimum est, uti minus apta sententia declarat. Etenim qui dicit *servosve tuos, quos aere pararis*, servos aere paratos a vernis et testamento aut bello partis simpliciter discriminat. Contra lectione *servosve, tuo quos aere pararis* non tantum servi aere parati a ceteris discernuntur, verum una etiam impensae ipsius domini caedentis sigillatim efferuntur, quo eius insania magis insignitur. Bene Bentleius contendit Ter. Phorm. III, 2, 26. *Vendidit. Quam indignum facinus, ancillam aere emtam suo.*

V. 153. sq. Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.

Critici *ingens* suppositicium rati tum praesens, tum ingesta, tum instans, tum id genus substitui voluerunt; attamen vocabulo *ingens* nihil videtur sincerius, dummodo ne fulturam intelligas immanem. Ne inopem sive viribus destitutum venae deficiant, nulla patet remedia impendenda esse nisi roborantia. Hinc vocabulum *ingens*, praemisso *inopem* oppositum, idem designare sequitur ac *valida, kräftig, stark*, qui significatus non ita rarus est. Sic Idomeneus ab Horatio Carm. IV, 9, 19. ingens vocatur, ab Homero Il. XIII, 330. φλογὶ εἴκελος ἀλκήν dictus. Cibo autem non accedente non modo inopem, sed quemque etiam sanissimum hominem venae deficiunt, quare *ingens* etiam ad nomen *cibus* referri debet. Cfr. Sat. I, 3, 129. sq. *cantor tamen atque optimus est modulator*. Carm. II, 13, 17. sqq. *sagittas et celerem fugam* ——, *catenas* —— *et Italum robur*. Cic. Tusc. III, 9. *quum decore atque omni me orbatum laude recordor*.

V. 155. sq. Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emtae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!

Quaestionem *quanti emtae?* solum librarii procrearunt proxima quaeque conglutinare soliti. Quid enim Opimii comperire interfuerit, quo pretio *oryza* ptisanarii emta esset, quum ei *ptisanarium* oryzae propinaretur? Nonne eum omnino oportebat sciscitari, quantam ipse pecuniam solvere deberet, nec quantam medicus solvisset? Neque medicus respondens pretium oryzae, sed ptisanarii oryzae retulit, unde Opimium quoque pretium ptisanarii nec oryzae percontatum esse certissime efficitur. Restitue itaque Horatio *quanti* emtum? sc. *sumam*. Nostrates: *zu welchem Kaufpreise?*

V. 157. Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?

Pro vulgato pereamque Bentleius v. l. pereamve revocavit, secundum quam Opimius pretio remedii percepto trifariam de se actum esse opinatus referre negat, num morbo an morbo sublato furtis medici an medico spreto rapinis avidi heredis intereat. Sed tertium internecionis genus claudicat, quoniam Opimius medicum spernens morbo, medicum vero admittens furtis medici iam conficiebatur,

neque amplius rapinis heredis perire poterat. Unde *pereamve* nothum et *pereamque* Horatianum esse clarescit.

V. 161. sqq. Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger: recte est igitur surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.

Recte nonnulli critici v. 163. expunxerunt, quem quis causam negationis Crateri desiderans ex Epist. I, 6, 28. *Si latus aut renes morbo tentantur acuto* fere descripsit. Cuius generis fuerit interpolator, insulsum docet enuntiatum: *si aeger non sit cardiacus, eius latus aut renes morbo acuto tentari*, ergo tres in universum morbos esse. Facillime autem peculiari quadam causa negationis Crateri caremus, quia *aegrum*, si non sit cardiacus, alio ex morbo laborare apertissimum videtur.

V. 165. sqq. Verum ambitiosus et audax:
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an numquam utare paratis?

Audax hoc loco non est *temerarius*, sed *superbus*, sicut Catull. 50, 18. sq. *Nunc audax cave sis precesque nostras, oramus, cave despuas, ocelle.* V. 166. sq. pugnantia secum frontibus adversis composita sunt, quemadmodum Epod. I. extr. *haud paravero, quod aut avarus ut Chremes terra premam, discinctus aut perdam nepos.* Itaque vulgatum *barathrone dones*, i. e. *pessum des* seu *profundas*, quam maxime sincerum est et vv. ll. *balatrone* vel *balatroni dones* nihili pendendae.

V. 171. sq. Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi ——

Bentleius vel centum librariis obnitentibus aiebat et contendebat, Horatium perdere nec *ludere* dedisse. Atqui *ludere* hic i. q. *perdere*, uti Ter. Phorm. II, 2, 18. *opera luditur* et Mart. III, 25, 9. *luditis otium.* Recte igitur iam Gesnerus animadvertit: „*Cum gravi et decretoria severitate sua operam hic lusit et perdidit magnus Bentleius.*"

V. 182. sqq. In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum volpes imitata leonem.

Variam lectionem *aut aeneus* tali modo tutari non licet, ut verba *spatiere* et *stes* sibi iocose opposita fingantur, quia Oppidii sermo nullum spirat iocum, nec *aeneus* apud Horatium trisyllabum est, quam posteriorem ob causam etiam *aut* Oppidio a re minore ad maiorem progredienti vindicari nequit. Sed quid significent verba *latus ut in circo spatiere*, adhuc latere nobis videtur. Interpretes vocabulum *latus* varia volunt indicare, e. gr. *fastuose et magnifice, comitatus ab assectatoribus, alis subnixis* (l. *subnexis*), *ansatus, cum toga ampla, magno cum comitatu*, quae egregia varietas iam documento est, nullam explicationem iusto niti fundamento. Quin cunctis, quae prolata sunt, ambulatoris epithetis is homo prodigus minime declaratur, qui cicere atque faba lupinisque bona sua in populum effudit, quum quivis etiam alius Romanus lata quadam ratione in circo incedere posset. Porro permirum videtur, quod etiam ille, qui in cicere atque faba lupinisque bona sua perdidit, dumtaxat in circo lata specie spatiatus sit atque adeo ob hanc solum ambulationem bona sua in populum effuderit. Quod qui committebat, sine dubio maiorem quamdam populi gratiam appetebat eamque, ni fallor, Horatius perinde verbis *latus ut in circo spatiere*, ut sequentibus *aeneus ut stes* dilucide expressit. Nimirum *latus* non est adiectivum, sed participium verbi *fero* dixitque Oppidius: *ut a populo φερόμενος in circo spatiere et aeneus proponaris*. V. ad Sat. I, 6, 18.

V. 188. sqq. Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam
Rem imperito ac si cui videor non iustus, inulto
Dicere quod sentit permitto.

Habes regium Agamemnonis responsum, potentiam et iustitiam atque clementiam suam laudantis neque plebeium interloquentem audientis. Male ergo in aliquot membranis *at* pro *ac* et peius etiam *quaere* pro *quaero* in vetustissimo Cd. Blandinio a prima manu scriptum est, namque interdicto *nil ultra quaere plebeius* quum ipsa sermonis continuatio, tum plebeio diserte concessa libera oratio (v. 190. 193.) plane repugnat. Ceterum *si cui* i. q. *si tibi*, ut v. 219. sq. *Quid, si quis gnatam pro muta devovet agna,*

integer est animi? Sat. I, 4, 110. sq. *Magnum documentum, ne patriam rem perdere quis velit.*

V. 208. sq. Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur ——

Sic fere omnes Cdd., nisi quod *veris* vel *vero* passim reperitur. Ut lectioni vulgatae patrocinarentur, nonnulli critici vias vehementer mirabiles instituerunt. Sic Bentleius probavit hanc verborum copulationem: *qui species alias, veri scelerisque tumultu permixtas capiet, commotus habebitur,* ubi *species aliae* falsae vel vanae esse feruntur et sequens *veri scelerisque* contraposita continere dicitur, velut *fas atque nefas.* Ecquis vero *species alias* pro falsis vel vanis usurpaverit? Quis *verum* et *scelus* sibi opponere ausus sit idque adeo in definitione quadam? Ecquis veri scelerisque tumultum umquam audiverit? Quis falsas vel vanas species etiam veri scelerisque tumultu permixtas protulerit? Heindorfius contra iunxit *species alias veri scelerisque,* quo discrepantes notiones iuris et iniuriae denotari opinabatur, quemadmodum nullus Latinus loquutus est. Qualicumque tamen ratione lectioni vulgatae opitulari laboraveris, eam incorruptam esse numquam evinces. Quod idem iam Lambinus perspexit, quare ex coniectura *veris* reposuit. Attamen quid sint species *sceleris* tumultu permixtae, hodieque reconditum est. Possit quispiam secundum Sat. II, 2, 126. *novos moveat fortuna tumultus* de tumultu cogitare infortunii, quod voce *scelus* interdum indicatur (v. Ter. Eun. II, 3, 34. Mart. VII, 13, 1.): verum nomen *scelus,* quod ad Aiacem armis Achillis fraudatum spectare videatur, illo significatu hic perobscurum est atque omnes res externae a commoti vel insani definitione quam maxime abhorrent. Qua posteriore ex causa etiam falluntur, qui *scelus* ad Agamemnonem filiam suam immolantem, aut ad Aiacem gregem ovium trucidantem revocant, praesertim quum hic non scelus insaniam, sed e contrario insania scelus provocaverit. Verissime igitur Horkelius anal. Hor. p. 95. sqq. nomen *sceleris* mendosum duxit, nec male cerebrique *tumultu* corrigendum suasit. Sed multo maiore cum probabilitate una solum lectionis vulgatae litterula transponitur et eadem quidem, quam Lambinus

et nonnulli librarii *veris* scribentes non extrinsecus arcessere debebant. Nempe refingendum est *qui species alias* veris celerisque (s. celeresque) *tumultu permixtas capiet.* Species *celeres* dixit poeta, velut *celeres* iambos Carm. I, 16, 24.

V. 211. sqq. **Aiax quum immeritos occidit, desipit, agnos:**
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo et purum est vitio, tibi quum tumidum est cor?

Exspectabas sane *tu admittis*, pronomen tamen substantivum etiam in contrapositis ab Horatio saepenumero omissum est, v. c. Sat. I, 9, 76. sq. *Ego vero oppono auriculam. Rapit in ius.* I, 10, 35. sqq. *Scilicet oblitus patriaeque patrisque, Latine quum Pedius causas exsudet* ——, *patriis intermiscere petita verba foris malis.* Epist. I, 14, 19. sqq. *quae deserta et inhospita tesqua credis, amoena vocat, mecum qui sentit et odit, quae tu pulchra putas.* II, 2, 64. *quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.* Carm. II, 17. extr. *Reddere victimas aedemque votivam memento, nos humilem feriemus agnam.* III, 16, 38. *nec si plura velim, tu dare deneges.* Hos quidem aliosque locos Bentleius intactos reliquit, sed v. 212. et 234., sicut Sat. I, 2, 90. et Epist. I, 14, 40. interpolare non cunctatus est.

V. 213. pronomen *tibi* cum verbis sequentibus aptius iungitur quam cum antecedentibus. Cfr. Sat. I, 2, 114. 116. al.

V. 230. sq. **Quid tum? Venere frequentes.**
Verba facit leno ——

Licet duo Feae Cdd. emendationem Bentleii *qui cum* confirment, nequaquam tamen hoc testimonium grave videtur, quippe paucissimi librarii longe facilius *qui cum* pro *quid tum* supponere poterant quam plurimi *quid tum* pro *qui cum.* Nec pluris equidem faciam v. l. *quid enim,* quia vis eius formulae (v. ad Sat. I, 1, 7.) huc minime quadrat. Sed *quid tum?* aeque absonum videri potest, quod res quaedam inexspectata non subsequatur. Subsequitur vero, si post *frequentes* colon posueris, unde redit sententia *ut venere frequentes.* Pari modo scribas Carm. I, 34. extr. *Hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit:*

hic posuisse gaudet. Cfr. Sat. II, 6, 48. sq. *Ludos spectaverat una, luserat in campo: Fortunae filius omnes.*

V. 243. sqq. Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas,
Quorsum abeant? Sanin creta an carbone notandi?

V. 246. sic vulgabatur: *quorsum abeant sani? creta an carbone notandi?* Lb. MSS. offerunt *sani creta, sani ut* vel *aut creta, sani an creta, sanine creta, sanii creta, Samii creta* ac pro *notandi* plurimi *notati* habent. Dudum quidem *sani* ex prima interrogatione ut nimis absurdum eiectum est, sed idem vocabulum in altera quaestione locum non minus ineptum hodieque obtinet. An Horatius effutiverit *num creta an carbone sani notandi sint?* Nihil vero amplius continet interrogatio, ut nunc circumfertur, nam nemo sobrius *insani* post *an* ex ingenio suo suggerat. Neque tamen corruptela admodum recondita est. Saepe enim librarios verba et genuina et spuria, ne quid perderetur, religiosius descripsisse haud ignotum est, cuius generis specimen est v. l. *sanine.* Horatius scilicet exhibuerat sane, quod explicationi inserviebat, velut Epist. II, 3, 206. sq. *quo sane populus numerabilis utpote parvus* —— *coibat.* Id interpolator non capiens temere ni super sane notavit, unde plerumque *sani* et aliquoties etiam *sanine* in Lb. MSS. invasit. Iam quum altera quaestio nihil sit aliud nisi alterius interpretatio, satis simul elucet, *notandi* nec *notati* genuinum esse.

V. 262. sqq. Ne nunc, quum me vocet ultro,
Accedam?

Unius Cd. auctoritate indicativum *vocat* vulgato *vocet* non anteferam, neque huc me adducit Ter. Eun. I, 1, 1. sq. *non eam, ne nunc quidem, quum accersor ultro?* Gravius enim coniunctivi documentum habemus Sat. I, 10, 31. sqq. *At sermo lingua concinnus utraque suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est. Quum versus facias.* Similia adscripsimus ad Sat. I, 5, 59.

V. 275. sqq. Adde cruorem
Stultitiae atque ignem gladio scrutare. Modo, inquam,
Hellade percussa Marius, quum praecipitat se,
Cerritus fuit.

Plures vv. dd. *modo, inquam* cum verbis superioribus consociant, in qua compositione apodosis suppleatur *tum insania planissime patet.* Ut hoc tibi supplementum largiar, tamen *modo* (i. e. *tantum*) antegressis imperativis non adiungam, quia sic contradictio oritur non levissima. Etenim *modo* est minimum postulantis, sed *adde cruorem stultitiae atque ignem gladio scrutare* summum expetentis. Nec magis cum aliis criticis inde a verbis *modo, inquam* usque ad v. 280. interrogationem constituam, quacum verbum *inquam* non bene concordat, sed potius hoc verbum asseveranti (v. Carm. II, 8, 13.) tribuam, ita ut punctum post *fuit* collocandum sit et enuntiato, Marium non cerritum fuisse nisi Hellade percussa se praecipitantem, quaestio succedat corroborans, uti Sat. I, 1, 76. sqq. I, 2, 103. sqq. I, 4, 124. sqq. I, 10, 82. sq.

V. 278. sqq. An commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?

Crimen commotae mentis et scelus Horatius noluit tenuiter distingui, quod genus Damasippo ex consuetudine rebus cognata vocabula imponenti vitio vertit. Sunt ergo *scelus* et *crimen,* non *scelus* et *mens commota* sibi opposita, neque de vocabulis agitur, quae sint *sibi* cognata, sed de vocabulis *ipsis rebus,* quibus imponantur, cognatis. Aliter hunc locum interpretatus Horkelius non nata pro *cognata* reponendum coniecit.

V. 282. sqq. unum,
Quid tam magnum? addens, unum me surpite morti,
Dis etenim facile est, orabat —

Plures Cdd. *quiddam* pro vulgato *quid tam* exhibent. Alterum sic defendi solet, ut *quid tam magnum* valere dicatur *quid tam parvum,* quam vim sane vox *tantus* saepius habet, sed fere idem significantia verba *dis etenim facile est* non admittunt. Latet contra, quid sit *quiddam magnum,* quod non illustrant, qui votum vel etiam nomina deorum et quasvis obtestandi formulas comminiscuntur. Quid vero orans ad primum *unum* addiderit? Nihil profecto nisi alterum *unum?* Proinde relegendum *quiddam magnum addens unum,* i. e. *maiore voce addens unum.* Similiter dixit Ci-

cero Tusc. II, 23. *exclamare maius.* Cfr. Hor. Carm. I, 22, 23. sq. II, 12, 14. II, 19, 6. III, 27, 67. Sat. I, 3, 26. I, 4, 43. I, 8, 41. II, 4, 18. II, 5, 79. 100. II, 6, 27. Epist. I, 1, 101. I, 10, 41. II, 2, 9. II, 3, 280. 459.

V. 305. sq. **Stultum me fateor, liceat concedere veris,**
Atque etiam insanum ———

Horatius se stultum atque etiam insanum fatetur, quamvis id Damasippus interrogatione sua *(Quid, caput abscissum manibus quum portat Agave gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?)* nondum demonstraverit. Proprie igitur *fatear* nec *fateor* respondere debebat. Avet vero a Damasippo percipere, quo tandem animi vitio affectus sit, quare iam revera probatum ponit, quod nondum est probatum. Huc autem lectio omnium membranarum *liceat concedere veris* nulla ratione convenit. De se enim poeta a Damasippo nihildum audivit, unde ergo illud *concedere veris?* Si quem insuper veris concedentem oporteat veniam petere, ea certe Horatio non petenda erat, quia Damasippo non contradixit, sed nulla potius argumentatione percepta adstipulatus est. His aliisque argumentis adductus Horkelius de coniectura lex est pro *liceat* inferri voluit, cui correctioni Meinekius vincat anteposuit. Mihi quidem non verbum *liceat,* sed *veris* mendosum videtur. Quaenam, quaeso, sint illa *vera,* quibus poeta modo sanus sibi visus necdum a Damasippo dedoctus iam concesserit? Aretalogus nihildum eorum protulit, quamobrem *veris* interpolatum esse debet. Cui vocabulo emaculando etiam ipse Horatius indicativo suo *fateor* facem praetulit clarissimam, nempe hunc modum excusaturus non poterat non subiungere *liceat concedere* vere, h. e. *liceat id revera concedere, quamquam nondum demonstrasti.*

V. 312. sq. **An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est**
Tanto dissimilem et tanto certare minorem?

Antiquissimus Cd. Blandinius cum Tonsano *tantum diss.* habuit, quam interpolationem Bentleius magno cum fastu recepit, vulgatum *tanto* ex turpissimo mendo laborare opinatus. Nos *tanto* sanissimum putamus, quod quidem non minus quam insequens dativus est ad Maecenatem referendus. Qua ratione Bentleius alterum *tanto* pro ablativo habere potuerit, quum Silium Italicum V, 77. *Heu fatis*

superi certasse minores! nostrum locum eleganter imitatum esse ipse animadverterit, non liquet, nisi eum unice ad constructionem vocabuli *minor* cum infinitivo intentum reliqua verba prorsus neglexisse statuas.

V. 316. sqq. Illa rogare,
Quantane, num tandem se inflans sic magna fuisset.
Maior dimidio. Num tanto? Quum magis atque
Se magis inflaret.

Plurimi Lb. MSS. *tandem*, ceteri, inter quos vetustissimus Blandinius cum Tonsano, unus Bentleii mendis ubique scatens et unus Feae, *tantum* praestant. Quaerit Bentleius, quorsum *tandem*, quum iam prima vice rana se inflaverit, postea iterum et tertio. Certe *tandem* postremo conatui, non primo convenire. At mater ranunculi, ubi pullos suos *ingenti belua* elisos esse audivit, non sensim sensimque exsuscitata, sed extemplo vehementer commota vocem *tandem* primae statim quaestioni quam maxime convenienter adiecit. Exploso autem ieiuno vocabulo *tantum*, quod auctor ceteroquin ad subsequens utique participium nec ad *magna* applicabat, vocula *sic* carere non possumus, unde v. l. *sufflans se* pariter spuriam esse apparet ac *tantum*. Sed rana se inflans certam quamdam magnitudinem non habebat, quamobrem neque interrogare poterat, num tandem belua *sic magna* fuisset. At vero participium temporis praesentis, ut saepius alibi (v. c. Sat. I, 5, 95.), pro deficiente temporis praeteriti positum est.

V. 318. verba *maior dimidio* critici partim cum verbis praecedentibus connectunt, ut sint appositio ad *sic magna*, partim pro responso ranunculi habent. Priore tamen ratione non patet, cur rana pullum de magnitudine beluae denuo percontata sit et magis magisque se inflaverit, post primam illa quidem inflationem se adhuc minorem esse non edocta. Altero autem modo tale responsum ranunculi accipis, quod posteriore *non, si te ruperis, par eris* manifesto refellitur. Atqui quoddam pulli responsum propter novam matris quaestionem necessario requiritur, neque id magnopere latitat. Quum enim ranunculus *maior dimidio* respondisse nequeat, nihil amplius potest quam *maior* respondisse. Iam vero *dimidio num?* matri iterum roganti assignandum

et *tanto* (i. e. *dimidio)* cum verbis *quum magis atque se magis inflaret* componendum est. Quae verborum digestio etiam idcirco pernecessaria existit, quod rana, quum magis magisque se inflaret, ergo certa quadam magnitudine non esset, neutiquam potest *num tanto?* rogasse, ut taceam de aperta perversitate, qua mater, quid sit *maior dimidio*, ex suo quaesiverit pullo.

SAT. IV.

V. 1. sqq. Unde et quo Catius? Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis, qualia vincant
Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.

Catius easdem in hoc sermone agit partes ac Fundanius in Sat. II, 8. Itaque eum non credo gulae philosophum fuisse, sed e contrario hoc genus una cum Horatio risisse, quem suspicari licet hic perinde M. T. Varronem, qui satiram περὶ ἐδεσμάτων conscripsit (v. Gell. N. A. VII, 16.), sequutum esse atque in Sat. I, 5. Lucilium.

V. 2. membranae *vincunt*, *vincant*, *vincent* exhibent. Recte iam Lambinus: „ego *vincent* non improbo, *vincant* tamen malo.“ Nempe coniunctivus urbanior est. Cfr. Sat. I, 6, 43. sq. *sonabit, cornua quod vincatque tubas.* I, 9, 25. *Invideat quod et Hermogenes, ego canto.*

V. 10. Ede hominis nomen, simul et Romanus an hospes.

Varia lectio *simul an*, quae Bentleio vitiosa videbatur, non minus recta est quam *num* —— *num* Sat. I, 4, 77. sq. et I, 10, 65. Imo illa anaphora sermo fit concitatior, qui festinanti Catio optime respondet.

V. 12. sqq. Longa quibus facies ovis erit, illa memento
Ut suci melioris et ut magis alba rotundis
Ponere, namque marem cohibent callosa vitellum.

Huc respexit Plinius H. N. X, 74. *quae oblonga sint ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Feminam edunt, quae rotundiora gignuntur, reliqua marem.* Quo loco de colore longorum ovorum nihil reperiens eiusque mentionem pluribus ex causis perabsurdam iudicans Bentleius *alma* pro *alba* suo ex ingenio invexit. Sed de almis ovis Plinius non plus quam de albis retulit. Nihilominus *alba*

Horatianum est, nec vero ad putamen ovorum hic applicandum, ubi de rebus disputatur esculentis, sed ad albumen, ut *magis alba* sit *magis albata*, quocum sequens *callosa* (i. e. *spissata)* praeclare concinit. Ceterum Plinius *suci melioris* recte interpretatus est *gratioris saporis*, quare eum Bentleius, ignorans is quidem ad Sat. I, 10, 27. quid sit *Latine*, arroganter erroris arguebat.

V. 15. sq. Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.

Quod caules auctore Palladio III, 24, 5. argillam et glaream timere, sabulone et arenis non delectari dicuntur, nisi perennis unda succurrat, id huic loco, ubi de caule *dulciore* et *elutiore* verba fiunt, non contrarium, sed prorsus alienum est. Item praecepto v. 21. sqq. *Ille salubres aestates peraget, qui nigris prandia moris finiet, ante gravem quae legerit arbore solem* opponere non licet verba Plinii H. N. XXIII, 70. *Ipsa poma* (mora) *ad praesens stomacho utilia refrigerant, sitim faciunt; si non superveniat alius cibus, intumescunt.* Nam Catius nigra mora ante gravem solem lecta praescripsit, de quibus apud Plinium nihil reperimus. Nec rectius sententiae v. 59. sq. *lactuca innatat acri post vinum stomacho* adversari fertur Plinius H. N. XXIII, 22. *Dulce* (vinum) *minus inebriat, sed stomacho innatat; austerum facilius concoquitur.* Catius enim de lactuca, Plinius de vino loquutus est.

V. 37. sq. Nec satis est, cara pisces averrere mensa
Ignarum, quibus est ius aptius ——

Variam lectionem *avertere* recte tueri nequis, etenim cara mensa atque pisces quin sint cetarii, haud dubitabile est, quare *cara pisces avertere mensa* i. q. *caros pisces cetario subducere*, id quod a Catii mente vehementer abludit. Qui quidem nullum supplementum arduum existimantes ad verbum *avertere* cogitatione addunt *aliis emtoribus*, certe non oblivisci debebant, pisces emtorum non magis existere quam caram mensam, emtoribus ergo pisces omnino non posse averti. Est autem *cara pisces averrere mensa* huic loco perappositum. Pisces scilicet mensa averruntur, si nullo relicto tabula fit rasa. Quocirca *cara pisces averrere mensa* non significat *celeriter cupideque*, sed *sum-*

matim caros pisces emere. Negat itaque Catius satis esse, quoscumque caros pisces coemere, si coemtos distincte apparare nescias.

V. 44. Fecundi leporis sapiens sectabitur armos.

Celebratissimus Cd. Blandinius cum Tonsano paucisque aliis *fecundae* praestitit, ut Sat. II, 8, 88. *anseris albae* pro vulgato *anseris albi.* Nos *fecundi leporis* item, uti *deum Venerem* (v. Macrob. Sat. III, 8.) similiaque, in speciem abstractam dictum minime reiicimus. Cfr. advers. nostr. ad Soph. Truch. 197.

V. 47. sq. Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis, in re una consumere curam ——

In aliquot Lb. MSS. *est* post *satis* (sequente verbo *absumere*) vel post *una* vel post *curam* invenitur; praeterea nonnulli Feae Cdd. *nec quemquam* habent. Unde vehemens oritur suspicio, hunc locum ex v. 37. labem contraxisse, praesertim quum simplici *satis* pro *satis est* Horatius alibi non usus sit. Fortasse auctor dederat: *nequaquam* licet *in re una consumere curam,* quod ex glossemate *nec satis est* alius librarius aliter interpolavit.

V. 58. sqq. Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea, nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho. Perna magis ac magis hillis
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,
Quaecumque immundis fervent allata popinis.

Varia lectio *in morsus* modo ad potorem spectat, ut is *ad mordendum refici* (cfr. Virg. Aen. XI, 731.) flagitare dicatur. Attamen non est sermo de potore, qui edere desueverit, ad edendum resuscitando, sed de recreando et reficiendo marcente. Quapropter *immorsus* antestare videatur, verum id quoque apta quadam ratione explanare non licet. Ieiunus enim verbo *immorsus* non significatur, neque disseritur de ieiuno. Idcirco iam Bentleius *immorsus* interpretatus est *vellicatus, excitatus, punctus, pervulsus,* hoc velle Catii magistrum ratus: *marcentem et resolutum stomachum eo pacto optime refici, si cibis acribus immorsus et vellicatus fuerit.* Primum autem nobis quaerendum est, unde Bentleius *marcentem et resolutum stomachum* petierit, nam ex verbis *lactuca innatat acri post vinum stomacho*

subiectum quidem *lactuca*, nec tamen *stomachus* repeti potest et si quis inde subiectum *stomachus* depromere voluerit, idem una etiam *acer* iterare debebit, neque ullo pacto *marcens* substituere poterit. Acer ergo stomachus optime reficiatur, si cibis acribus immorsus et vellicatus fuerit? Praeterea verbum *immorsus* in enuntiatione *perna magis ac magis hillis flagitat immorsus refici* ex Bentleii enarratione non modo otiosum, verum etiam falsum est, quia immordens inhaerescit, id quod in pernam hillasque non cadit, quae nequaquam mordent, namque remedia sunt lenia et roborantia neque acria ac stimulantia. Denique legitimum subiectum adhuc *potor* est, quod quidem quam sit ineptum, ex epitheto *immorsus* patescit. Ut igitur *stomachus* rursus subiectum fiat, una tantummodo litterula commutata sic rescribe: *perna magis ac magis hillis flagitat* is *morsus refici.* Primum enim marcens potor tostis squillis et Afra cochlea recreandus proponitur, tum (i. e. marcente potore recreato) acer stomachus perna atque hillis amplius reficiendus. Scilicet *morsus (gebeizt)* de vino dictum est, unde *morsus stomachus* plane idem, qui modo *acer post vinum* vocatus est. Pronomen *is* Horatius simili ratione intulit Sat. I, 9, 18.

V. 78. sqq. Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum frusta ligurrit,
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.

Vulgatur *furta*, quod nomen non tam verbum *ligurrit* quam *devorat* reposcit. Propterea tamen alteram Cdd. scripturam *frusta* Horatianam esse, ut iam Lambino videbatur, nondum crediderim. Poetam enim genus frustorum omisisse non est verisimile. Haud scio igitur an crusta nobis reliquerit. Itidem scripsit Iuvenalis IX, 5. *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.*

V. 83. sqq. Ten lapides varios lutulenta radere palma
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumtumque minorem
Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?

Schol. Cruq. v. 86. *illis* sic enarrat: *quam si defuerint tibi pretiosi pisces et optima vina.* Lambinus: *quam si non*

adhibeatur magnificus ille et sumtuosus apparatus. At vero de defectu quodam rerum pretiosarum minime agitur, neque *illis* ad *iustius*, ut etiam Orellius voluit, sed ad *minorem* pertinet. Verba enim ita ordinanda sunt: *haec tanto iustius reprehendi, quanto minorem curam sumtumque habeant quam illa, quae* etc. Traiectum pronomen interpretes etiam Sat. II, 8, 94. in errorem induxit.

SAT. V.

V. 2. sq. quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis.

Vis verbi *reparare*, hoc quidem loco apertissima, minus recte Carm. I, 37, 23. sq. *nec latentes classe cita reparavit oras* etiamnunc ambigitur. Est enim plane eadem atque Carm. I, 31, 12. *vina Syra reparata merce.* Ergo *reparavit* i. q. *mutavit* vel *permutavit*, ut Cleopatra celeri fugae in patriam latibula locorum occultorum non praeposuisse dicatur.

V. 3. sqq. Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi patriosque penates
Adspicere?

Doloso non est *doloso cuidam*, sed *doloso tibi.* Sic Sat. I, 3, 22. sq. *an ut ignotum dare nobis verba putas?* II, 3, 10. *si vacuum tepido cepisset villula tecto.* II, 7, 32. sqq. *Iusserit ad se Maecenas serum sub lumina prima venire convivam.* Cfr. ad Sat. II, 6, 13.

V. 20. sq. Fortem hoc animum tolerare iubebo:
Et quondam maiora tuli. Tu ——

Secundum Hom. Od. XX, 18. *Τέτλαθι δὴ, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης* Horkelius anal. Hor. p. 126. sq. non male suspicatus est, v. 21. tulit, littera *t* ab eadem insequente absorpta, primitus scriptum fuisse. Sed et Latini et Graeci, quum personam circumloquutione quadam designarunt, quam citissime ipsam ad personam revertuntur, quare *tuli* non impugnandum arbitramur. Cfr. Sat. II, 3, 89. sq. Carm. I, 37, 14. sqq. (ubi non usum, sed abusum vini tangi et Cleopatram Mareotico consternatam perhiberi atque veros timores lymphaticis oppositos esse parum animadversum reperio) et III, 5, 13. sq.

V. 47. sqq. leniter in spem
Arrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres et, si quis casus puerum egerit orco,-
In vacuum venias ——

Primo heredi mortuo secundus succedit necessarie, quam ob causam Heindorfius duplex *et* recte refutavit. Namque ficto quodam duplici optato captatoris nihil proficimus, quum hic dumtaxat de fine disseratur, qui officioso spectandus sit. Fortasse *ut* adscribare genuinum est. Heindorfius optabat uti *scribare*.

V. 59. sq. O Laertiade, quidquid, dicam, aut erit aut non,
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Nihil hic ridiculi nisi quod ipsi interpretes, inter quos etiam perantiqui, miro sane modo commenti sunt. Neutiquam enim Apollinis sacerdos divinationem risit, sed potius effatus est *dicam, quidquid aut erit aut non*, ut iam Reisigius perspexit. De hyperbato cfr. infra v. 100. sq. *quartae esto partis Ulixes, audieris, heres.* Sat, II, 1, 60. *quisquis erit vitae, scribam, color.* II, 2, 116. sq. *non ego, narrantem, temere edi luce profesta quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.* Epist. II, 3, 86. sq. *Descriptas servare vices operumque colores, cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?* Carm. III, 27, 18. sq. *Ego, quid sit ater Hadriae, novi, sinus.*

V. 79. sq. Venit enim magnum donandi parca iuventus,
Nec tantum veneris, quantum studiosa culinae.

Falsa verborum constructio varios produxit errores. Nullo quidem medicamine indigemus, nec tamen *magnum donandi* copulandum, quia proci Penelopae *parca magnorum donorum iuventus* non erant, nam nulla omnino dona dabant ante reditum Ulixis et eo iam praesente Penelopae solum astutia ad donandum inducebantur. Coniunge ergo *magnum parca,* i. e. *parcissina,* uti v. 80. *tantum* —— *quantum studiosa.* Cfr. ad Sat. II, 3, 283.

V. 90. sq. Difficilem et morosum offendet garrulus: ultro
Non etiam sileas.

Varia lectio *ultra* merum scripturae mendum est. *Ultro* autem vv. dd. partim cum *garrulus*, partim cum verbis subsequentibus consociant. Verum illa copulatione incom-

mode garrulitas discriminatur voluntaria et non voluntaria, quae distinctio hic alienissima videtur. Contra coniugatis verbis *ultro non etiam sileas, aber schweig auch nicht von selbst*, ut transtulit Heindorfius, garrulus evadit, quem nescio an nullus superet. Sanissimam vero orationem recuperamus, si levi commate post *non* inserto *non* vertimus *nein, etiam ja*, de quo significatu notissimo cfr. Cic. Acad. II, 32. *Ubicumque probabilitas aut occurrit aut deficit, aut* etiam *aut* non *respondemus*. Quod ad *ultro* (i. e. *adeo)* spectat, compares v. 28. sq. *improbus, ultro qui meliorem audax vocet in ius*. Sat. I, 7, 17. sq. *ultro muneribus missis*. II, 7, 40. sq. *Tu, quum sis quod ego et fortassis nequior, ultro insectere velut melior?* Carm. IV, 4, 51. sq. *sectamur ultro, quos opimus fallere et effugere est triumphus.*

V. 96. sq. donec ohe iam!
Ad coelum manibus sublatis dixerit, urgue ——

Ohe iam! pro *ohe iam satis est!* Aposiopesis bene adumbrat hominem nimia laudatione paene exanimatum. Itaque *iam* hic non magis cum *dixerit* coniungendum videtur quam cum *dixeris* apud Mart. VII, 50, 14. *et quum iam satis est! dixeris, ille leget.*

V. 103. sq. est
Gaudia prodentem vultum celare.

Gesnerus resolvit: „Circumpone tibi fletum tamquam personam, sub qua ridere possis. *Prodens gaudia vultus* hic dicitur, ut mox *seu fundi* —— *sit emtor*, h. e. *esse velit.*“ Equidem longe aliter sentiens dictum malim: *est vultum, qui gaudia prodit*, gaudia *celare*, velut Sat. I, 3, 74. *aequum est, peccatis veniam poscentem reddere rursus*, sc. *veniam*. Accusativum autem cum infinitivo poeta post *est* posuit, quemadmodum Graeci saepius post ἔξεστι. Cfr. Cic. Tusc. IV, 32. *Haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre*, ubi nihil novandum, sed *satis* solum cum *diligenter* iungendum est.

SAT. VI.

V. 13. Si quod adest gratum iuvat ——

H. e. Orellio auctore *ita iuvat, ut gratum sit animo meo*. Potestne vero aliquid nos etiam ita iuvare, ut in-

gratum sit animo nostro? *Gratum* igitur est generis masculini pronomine *me* omisso, sicut alibi creberrime. Cfr. Sat. I, 5, 83. sq. *somnus tamen aufert intentum veneri.* I, 6, 82. sqq. *Pudicum —— servavit ab omni non solum facto, verum opprobrio quoque turpi.* II, 1, 12. sq. *Cupidum, pater optime, vires deficiunt.* II, 3, 326. *O maior tandem parcas insane minori.* II, 6, 59. *Perditur haec inter misero lux non sine votis.* II, 7, 51. *dimittit neque famosum neque sollicitum.*

V. 16. sq. Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem s a t i r i s m u s a q u e p e d e s t r i?

Demiratur Orellius, quod falsissima Dacierii et Sanadoni explicatio *quid componam prius quam satiras?* nondum derelicta sit. Quidni iam Damassippum castigavit, qui eius interpretationis auctor exstitit? Is quidem ad illud Horatii promissum provocavit Sat. II, 3, 9. sq. *Atqui vultus erat multa et praeclara minantis, si vacuum tepido cepisset villula tecto.*

V. 29. sq. Quid vis, insane, et quas res agis? i m p r o b u s urguet
Iratis precibus ——

Vocem *improbus* cum praegresso *agis* nullo pacto iungi posse iam ex constructione verborum *(quid vis et quas res agis improbus, insane?)* in modum evidentissimum patescit. Contra *improbus* (i. e. *ein Schelm) urguet iratis precibus* optime componuntur. Cfr. Lucil. apud Gell. N. A. XI, 7. *ore improbus duro.*

V. 30. sqq. tu pulses omne, quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
H o c iuvat et melli est, non mentiar.

Hoc solent interpretes de Horatii cursu ad Maecenatem intelligere, quod sine dubio non esset factum, si oratio hanc fere in speciem conformata esset: *tu memori mente ad Maecenatem recurrens omne pulses, quod obstat.* Hinc pari plane iure, quo nunc de Horatii cursu ad Maecenatem cogitatur, de pulsatione omnium impedimentorum cogitares. Est vero *hoc* ad iratas improbi preces referendum. Poeta scilicet molestias suas urbanas recensens etiam conqueritur, quod sibi ad Maecenatem properanti a turba tardisque peditibus via obstruatur. Haec tamen impedimenta iratis pre-

cibus, quas pulsati viatores interiiciant, non diffitetur sibi mellea fieri.

V. 32. sq. At simul atras
Ventum est Esquilias ____

Esquiliae iam salubres nec amplius *atrae* erant, quum Horatius hunc sermonem scriberet. V. Sat. I, 8, 14. sqq. Haud scio igitur an v. l. Cd. Berol. *altas* vulgatae *atras* praeferenda sit. Cfr. Carm. III, 29, 10. *molem propinquam nubibus arduis.*

V. 38. Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.

Si Horatius Augusti fuisset tabellarius, interpretes sane hic nobis narrare potuissent, quod Dio Cassius LI, 3. auctor est, Maecenatem et Agrippam scripta Augusti ad senatum aliaque percensuisse et ex arbitrio suo immutatis signum ab Augusto acceptum impressisse. Atqui Horatius ne scriba quidem Augusti fieri voluit, nedum tabellarius, quocum insuper officio nec responsum *experiar* neque additamentum mandantis *si vis, potes* ulla ratione concordat. Minime igitur Augusti tabellae hoc loco significatae sunt, sed longe aliae, quas auctores a docto Maecenate *obsignari* (i. e. *approbari*) vellent. Eodem consilio etiam Augusto poetas sua scripta tradere consuevisse ex Epist. II, 1, 219. sqq. cognoscimus.

V. 47. sq. Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
Invidiae noster.

Noster nec hic nec alibi i. q. *ego*, sed *noster amicus.* Cfr. Carm. I, 15, 32. *non hoc pollicitus tuae.* I, 25, 7. *me tuo longas pereunte noctes.* III, 4, 21. sq. *Vester, Camenae, vester in arduos tollor Sabinos.* Supra v. 41. sq. (Sat. I, 6, 62.) *me coepit habere suorum in numero.* Infra v. 65. sq. *quibus ipse meique ante larem proprium vescor.* Horatius autem non erat vulgo adamatus, quapropter *noster* non sine ironia dixit belleque nomini *invidiae* statim subiunxit.

V. 63. sq. O quando faba Pythagorae cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo!

Elegantissima est Meinekii coniectura *simulque uncta* fabis *pingui ponentur oluscula lardo*, i. e. *simulque cum fabis.* Quam qui nolit amplecti, *satis* saltem cum *uncta* copulet, ut sit *uncta quod satis est* seu *uncta rite* (cfr. Carm.

I, 13, 13. *si me satis audias)*, quo poeta frugalitatem suam indicaverit, ut alibi frequentius. V. Heindorf. ad Sat. II, 4. p. 336. sq.

V. 108. sq. necnon verniliter ipsis
Fungitur officiis praelambens omne, quod affert.

Vulgato *praelambens* Bentleius v. l. *praelibans* recte praeposuit, quoniam de officiis neque vitiis vernarum sermo est. Ad officia convenit *praelibans*, ad vitia *praelambens*. Nec rodenti muri *praelambens* ideo vindicari potest, q[illegible] v. 100. *surrepere* pro *subire* dictum sit, quem quidem locum qui advocavit, ei etiam mures pariter *lambere* ac *repere* solere demonstrandum erat.

SAT. VII.

V. 1. sq. Iam dudum ausculto et cupiens tibi dicere servus
Pauca reformido.

Interpretes ad quaslibet ellipses confugere non dubitantes verbum *ausculto* diversissimis rationibus illustrare nisi sunt. Alii enim dictum arbitrantur *iam dudum audio te loquentem*, alii *iam diu auribus capto et velut venor opportunitatem loquendi*, alii *ausculto ad fores* vel *ausculto vocatus* aliaque, quae redarguere non est operae pretium. Nil vero aliud quam postpositum pronomen *tibi* (v. ad Sat. I, 6, 122.) variorum errorum ansam dedit, quo iam ad verbum *ausculto* assumto oratio existit planissima. Servos quidem Romanos haud ignotum est liberam orationem non habuisse nisi saturnalibus. Suam itaque conditionem Horatianae opponens Davus ait: *iam dudum tuorum dictorum auscultator sum et cupiens tibi pauca dicere servus reformido.* Nempe consueta conditio servilis, qua domitos habebat oculos et manus orationemque (v. Plaut. Mil. Glor. II, 2.), Davum etiam saturnalibus prohibuit, ne suum institueret sermonem ad modum Iuvenalis I, 1. *Semper ego auditor tantum? Numquamne reponam?*

V. 18. sqq. quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.

Cardo rei in iisdem vertitur vitiis nec in quam maxime variis, unde v. l. *idem* falsam esse elucet. Eadem ratione, qua *idem* ex antecedente vocabulo *constantior* natum est, v. 19. vulgatum *ille* ex voce *prior* prodiit et v. 42. v. l. *stultior ipse* exorta est. Indicat vero *prior* i. q. *praestantior* et Davum praecepta Stoicorum, *quis paria esse fere placuit peccata* (Sat. I, 3, 76.), non severius sequutum esse ex v. 47. et 63. abunde apparet.

V 29. sqq. Si nusquam es forte vocatus
Ad cenam, laudas securum olus ac velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum.

Pro *vinctus* unus Feae MS. a pr. m. *victus* habet. Horkelio anal. Hor. p. 47. sqq. vocabula *nusquam* —— *usquam* —— *nusquam* displicent et *vinctus eas,* quod minus violentum foret, si de vi illata Davus loqui voluisset, improbabile videtur. Excogitavit ideo hanc emendationem: *velut* escam vix fugias, qua tamen etiam probabiliorem inveniri posse ingenue fatetur. Nobis quoque istae voces *nusquam* —— *usquam* —— *nusquam* minus arriderent, si ipsius essent Horatii neque Davi, cui quidem talia non abiudicaverim. Cfr. Epist. II, 3, 114. sqq. Sed pro *vinctus eas* malim legi *victus eas,* etenim qui vinctus ire dicitur, is non tam cogitur ire quam impeditur aufugere, quod quomodo commode huc applicari possit, non liquet. Apposite autem Davus dixerit *velut usquam victus eas,* h. e. *ex arbitrio victoris.* Cfr. Sat. I, 9, 42. sq. *et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum cum victore, sequor,* sc. *victus.*

V. 34. sq. Nemon oleum fert ocius? Ecquis
Audit? cum magno blateras clamore furisque.

Praesens fert, pro quo bona pars Cdd. futurum feret exhibet, non minus quam audit sincerum est. Plus de v. l. *fugisque* disceptari posse videtur, sed arctissima coniunctio verborum *blateras fugisque* alterum insiticium esse manifestat. An Horatius uno ferme eodemque tempore blateraverit atque ad Maecenatem fugerit, oleo nondum allato? Quod ut concedamus, minime tamen credibile est, Horatium etiam cum magno clamore ad Maecenatem fu-

gisse. Perbene contra *blateras furisque* coniugantur, sicut *blateras* et *rabis* composuit Varro apud Non. I, 186. *Quid est? Quid blateras? Quid rabis? Quid vis tibi?* quem locum iam Lambinus allegavit. Neque furorem Horatio a Davo exprobratum mirabitur, qui contenderit Damasippi *horrendam rabiem* Sat. II, 3, 323., aut Lydiae *improbo iracundior Hadria* Carm. III, 9, 22. sq.

V. 63. sqq. Illa tamen se
Non habitu mutatve loco peccatve superne,
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.

Heindorfio praeeunte Orellius v. 63. sq. ita enodavit: „Moecha certe non habitum matronalem cum servili mutat, neque aedibus clanculum exit, ut te domi tuae conveniat, et morem tantummodo tibi gerit, dum te non init, sed muliebri patientia sese supinat tibi superne patranti.“ Tali tamen modo vel Davum non credo moecham excusaturum fuisse. An haec est excusatio, quod moecha moechum non ineat, aut quod moecha succumbat, moechus incumbat? Ubinam porro *se loco mutare* declaret *aedibus clanculum exire?* Verum alii adeo *peccatve superne* ad matronam non ore morigerantem detorquebant, quo excusatio continetur una omnium teterrima. Est vero valde dilucidum, Davum, ut marito matronae peccantis in corruptorem potestatem etiam iustiorem esse demonstraret quam in corruptam feminam, plura negasse ab hac committi, quae ad libidinem suam explendam adulter committat. Quare verba *illa tamen se non habitu mutatve loco peccatve superne* perspicue opposita sunt superioribus *quum proiectis insignibus, anulo equestri Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama turpis, odoratum caput obscurante lacerna.* Quemadmodum ergo moechi habitus mutatus et moechae non mutatus dictus est, ita mutato quoque moechi loco (i. e. *ordini)* locus moechae non mutatus ac velato moechi capiti caput moechae non velatum contraposita sunt. At bene quidem *prodis ex iudice Dama turpis* et *se non mutat loco* sibi adversantur, secus vero *odoratum caput obscurante lacerna* et *non peccat superne.* Sed verbum *peccat,* modo de adulterio usurpatum, ab Horatio iam iteratum atque etiam de capite velato adhibitum esse nobis minime verisimile videtur.

Quocirca *peccatve* ab interpolatore tantum procreatum censeo, qui genuinum, ni fallor, mutatve *superne* propter anaphoram inscite aspernaretur.

Similis labes illata est Carm. I, 35, 22., ubi pro *nec comitem abnegat,* quod nec cum verbo *colit* concinit et cum sqq. *utcumque mutata potentes veste domos inimica linquis* sententiam reddit plane perversam, modo rescribendum videtur *nec* colere *abnegat.*

Ceterum verba *illa tamen* —— *superne* apodosin continent et *quum,* ut iam vocula *tamen* indicatur, valet *quamvis,* de qua significatione ad Sat. I, 8, 17. disputavimus. Perperam itaque Orellius versum 65. cum sequentibus coniugavit.

V. 68. sqq. **Evasti: credo, metues doctusque cavebis;**
Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis ——

In pluribus MSS. *metuens* exstat, quod ex subsequente *doctusque* oriundum Fea male recepit, contendens is quidem v. 56. *metuens induceris* et provocans ad v. 69. *quando iterum paveas,* quod verbo *metues* antegresso inutile fore iudicabat. Non assequutus est Davi orationem ironicam. Nempe *credo, metues doctusque cavebis* omnino valet *non credo, metues doctusque cavebis,* veluti Sat. II, 3, 88. sq. *Credo, hoc Staberi prudentem animum vidisse.* Adde Ter. Eun. I, 2, 18. Cui negationi omissa particula adversativa graviter opponuntur *quaeres, quando iterum paveas iterumque perire possis,* de quo loquendi genere ad Sat. I, 4, 46. exposuimus. Minus recte igitur post *cavebis* et Fea et alii punctum collocarunt. Ceterum vocem *doctus,* quod nondum factum video, non minus cum verbo *metues* quam cum *cavebis* coniungas, qua eadem ratione dicta sunt Carm. I, 5, 5. sq. *fidem mutatosque deos flebit.* III, 5, 7. *proh curia inversique mores!* Epist. I, 1, 17. *custos rigidusque satelles.* I, 17, 57. *nulla fides damnis verisque doloribus.*

V. 111. sqq. **Adde, quod idem**
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam.

Vulgatum *et erro* pleraeque membranae, ceterae *ut erro* vel *et erras* tutantur. Si *fugitivus* est desertor, *erro*

tantum cessator, haud facile aperias, quemadmodum *fugitivus et erro* componi queant, nam quid *erro* post *fugitivus* sibi velit? Multo autem etiam putidior est v. l. *fugitivus ut erro*, quam praeter aliquot Feae Cdd. etiam tres Blandinii obtulerunt. Ad falsam tamen utriusque lectionis compositionem mira insuper sententia accedit, *fugitivos et errones iam vino, iam somno curas fefellisse.* Omnes, opinor, servi Romani, si iis illud contigisset, fugitivi et errones facti essent. Bene ergo Fea *et erras* ex nonnullis MSS. reduxit, sed perperam *vitas fugitivus* copulavit, quum construere debeamus *et fugitivus erras*, i. e. *et tui ipsius fugitivus erras.* Postpositum *et*, etsi Horatio usitatissimum (e. gr. Sat. I, 4, 51. I, 5, 58. 86. I, 6, 101. I, 8, 30. I, 9, 25. I, 10, 79. II, 1, 64. II, 3, 150. 231. 244. al.), plerosque librarios hoc loco fugiebat, quare pravo suo more ad nomen *fugitivus* alterum *erro* affinxerunt. V. ad Sat. I, 2, 125.

SAT. VIII.

V. 1. Ut Nasidieni iuvit te cena beati?

Varias lectiones *Nasidieni qui iuvit* et *ut te Nasidieni iuvit* utique interpolatoribus debemus, qui in quattuor syllabis nominis *Nasidieni* haerebant, quum idem quinque syllabarum v. 75. et 84. invenirent. Poeta vero quasi rem gravem expositurus festive quattuor spondeis usus est, quamobrem nihil immutandum. Cfr. initia Sat. I, 1. I, 10. II, 3. Epist. I, 2. I, 4. I, 19., quibus contraria sunt Sat. I, 4. II, 1.

V. 16. sqq. Hic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque,
Divitias miseras. Sed quis cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.

Plerique critici *divitias miseras* Horatio assignant, multimodis quidem *miseras* explanantes. Sed quacumque demum ratione hoc vocabulum enucleaveris, nulla id efficias, Horatium, qui v. 1. Nasidienum vocavit *beatum*, hic eiusdem divitias *miseras* dixisse, quae sunt miserorum. V. ad Sat. I, 2, 36. Ipse itaque Nasidienus *divitias mise-*

ras varia sua vina nuncupavit, specie sane reculas suas extenuaturus, re autem vera ostentaturus.

V. 20. sq. Summus ego et prope me Viscus Thurinus et infra,
Si memini, Varius ——'

Fundanius cenam beati Nasidieni Horatio omnino non de scripto quodam, sed memoriter retulit, quapropter v. 21. *si recte* seu *bene memini* nec *si memini* exspectabas. Verum neque *recte* nec *bene* intercidit, sed *si* tantum litterula *c* curtatum est. Integrum sic Cd. Berol. servavit.

V. 25. sqq. Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, cenamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia sucum,
Ut vel continuo patuit, quum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.

Lateret Heindorfio iudice ad omnes spectat convivas Maecenate exemto, quod alioqui *cetera turba* intelligi nequeat. Unde vero illam exceptionem? An unum Maecenatem nihil latuerit? Neque *cetera turba* tali convivae opposita est, quem nihil lateret, sed aliud quam aves, conchylia, pisces cenanti, i. e. Porcio totas simul absorbenti placentas. Eo enim Nomentani digitum indicem non curante, sed integras devorante placentas, ceteri convivae signa Nomentani sequuti cibos exquisitiores minusque patentes degustabant. Ad quos cibos ilia quoque passeris atque rhombi pertinebant, quae a cenantibus non gustata Nomentanus Fundanio porrexit. Male scilicet interpretes vocabulum *ingustata,* quod *non gustata* significat, *numquam gustata* verterunt atque cum pronomine *mihi* ex verbo *porrexerat* suspenso colligarunt. Ordo verborum est: *quum ingustata ilia passeris atque rhombi mihi porrexerat.*

V. 93. sqq. quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset peior serpentibus Afris.

Omnes Lb. MSS. *velut illis* vel *veluti illis* exhibent. Pro *Afris* vero errantes nonnulli librarii *atris* exararunt. Quantopere quis ingenio suo indulgere possit, ut plane insipientis speciem induat, hoc loco Bentleius splendidum in

modum monstravit. Recta verborum constructione, quae quidem etiamnunc mala distinctione latitat, non percepta, quasi scriptum quoddam tironis expurgans suo Marte *veluti* si substituit atque hoc a Fundanio dictum finxit: *Nihil ex dapibus gustasse convivas, perinde ac si* viperae, aut *illis peior Canidia eas halitu suo infecisset.* Atque ob hoc mere commenticium enuntiatum *atris* rectius esse credidit quam *Afris. Unde enim,* inquit, *Mauri serpentes tanto intervallo nocere hic possent suo afflatu?* Quam conclusionem summo iure iam Fea vere miserandam dixit. Perperam autem comma post *afflasset* hodieque propagatur, nam pronomen *illis* utique cum *serpentibus Afris* reconciliari debet, quum nihil aliud quam hoc eloquutus sit Fundanius: *velut peior illis serpentibus Afris Canidia* omnia *afflasset.* Disiunctio verborum *illis serpentibus Afris* neminem male habebit, nisi qui permulta hyperbata Horatiana non attenderit. Cfr. Epist. II, 1, 210. sq. *Ille per extentum funem mihi posse videtur ire poeta.* Ibid. 221. sq. *unum si quis amicorum est ausus reprendere versum.* Sat. I, 1, 78. sq. *Horum semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.* I, 10, 82. sq. *An tua demens vilibus in ludis dictari carmina malis?* II, 3, 296. sq. *Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico arma dedit.* Adde sis Carm. I, 20, 10. sqq. III, 23, 9. sqq. Epod. VIII, 11. sq. Epist. I, 3, 18. sq. II, 2, 21. sq. et quae ad Sat. I, 5, 72. excitavimus. Vis vero pronominis *ille* hic est eadem ac Sat. I, 2, 55. *Marsaeus, amator Originis ille.* I, 3, 3. sq. *Sardus habebat ille Tigellius hoc.* II, 3, 21. *vafer ille —— Sisyphus.* Epist. II, 1, 232. sq. *ille Choerilus.* Denique praegresso *nihil* ita *omnia* mente contraponas, quemadmodum *quisque* antecedenti *nemo* Sat. I, 1. princ. *Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa contentus vivat, laudet diversa sequentes?*

BEROLINI TYPIS EXPRESSIT S. IACOBY.